



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**


**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

Liber CVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)



HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER CVI.

EUGENIUS IV. PAPA.  
SIGISMUNDUS OCCIDENT. JOANN. VII.  
PALÆOLOGUS ORIENT.  
IMPERATORES.

§. I.

*Basileense Concilium.*

**I**nter ceteras Synodum Basileam convo- Sæcul. XV.  
candi rationes facile principes erant A. C. 1431.  
duæ sequentes, nimirum, ut Ecclesiæ  
Orientales, aliæque Nationes erroribus  
*Hist. Eccles. Tom. XXVII.* A suis

ibid.  
660  
661  
663  
664  
665  
666

O-

Sæcul. XV. A.C. 1431. suis a Romanæ Sedis communione avulsæ, rursus eidem unirentur, atque universalis Ecclesia tam in Capite, quam in membris ad veterem disciplinam revocaretur. Equidem hæc morum instaurationis jam in Constantiensi Concilio perfici debuisset; occurrentibus tamen pluribus obstaculis alibi recensitis in proxime futuram remittebatur Synodum, quæ haud alia erat, quam Senensis, cujus supra meminimus. Attamen & illa ob tumultus a seditiosis quibusdam importune suscitatos optato caruit successu. Ergo denuo aliud expectandum erat Concilium; & hoc est ipsa Basileensis Synodus; quæ cum non nisi ea, quæ Constantiense Concilium decreverat, executioni dederit, illius complementum, ac veluti rivus a suo fonte scaturiens, merito reputanda est.

## §. II.

*Nonnullorum ad hoc Concilium concursus.*

*Acta Patric.  
Hist. Conc.  
Basil. tom.  
XIII.*

Unanimi igitur consensu Basileensis civitas ad congregandam hanc Synodum seligitur. Jamque quarta mensis Martii die Viceliacensis Abbas Ordinis S. Benedicti ex Æduana seu Augustodunensi Diœcesi Basileam venerat, Synodo interfuturus. Ast diu nequidquam expectatis

pectatis iis, qui vocati erant, ipse Canonicos, Clerum, pluresque alios congregat, illisque hæc proponit: Jam septem & amplius anni præteriere, ex quo Senense Concilium celebratum fuit, juxta cujus decretum tempore per Constantiensem Synodum præstituto Basileense Concilium inchoandum foret; igitur termino jamjam elapso, & Prælati contra datam fidem necdum comparentibus, ego illorum absentiam supplere paratus, interim unacum illis, qui præsentibus adsunt, initium Synodo dandum existimo, palamque profiteor, mihi haud imputari posse, si sacrorum Conciliorum decreta effectui non dentur. Placuit ceteris omnibus pia Viri voluntas, displicuit tamen res ipsa, utpote quam eo tempore ad exitum deducere, prudentiæ Regulis minus consonum esset. Sub idem tempus Parisiensis Universitatis Delegati advenerant, datæque fuerunt literæ ad Sigismundum, aliosque Germaniæ Principes, ut & ipsi suos Oratores ad Concilium ablegare, haud ultra cunctarentur.

## §. III.

*Synodi initium.*

Interea die decima nona Maji Joannes Polemarus, & Joannes de Ragusis, quibus Julianus Cardinalis, ut supra memoravi-

Spond. ad

an. 1431.

n. 13.

Lib. CV.

§. 88.

A 2

ravi-

Seoul. XV. A.C. 1431. ravimus, suas in Synodo præsidendi vi-  
ces delegavit, Basileam adventu suo ho-  
norant, eodemque die coacto conventu,  
& vocato Joanne Basileensium Episcopo  
Synodum vigesima tertia ejusdem  
mensis inchoandam decernunt. Cete-  
rum cum Patrum numerus oppido exi-  
guus esset, usque ad Mensẽ Decem-  
brem nonnisi privatæ quædam congrega-  
tiones habebantur. Interea vero cum  
propositum, imo & promissum Juliani Car-  
dinalis, qui Concilio se adstiturum spo-  
pondit, innotuisset, ejus utique præsen-  
tiam oportuit ulterius expectari.

## §. IV.

*Cardinalis Julianus Basileæ.*

**R**e ipsa Cardinalis Mense Octobri Ba-  
sileam salutavit. Is post suum in ur-  
bem ingressum nil antiquius habuit, quam  
ut datis ad Bohemos literis, eosdem ef-  
ficacissimis juxta ac sinceri affectus ple-  
nis adhortationibus invitaret, ut ad Syno-  
dum suos quoque mitterent Oratores;  
quocirca eis amplissimas, & ad vota eo-  
rum conceptas securitatis literas offere-  
bat. Scripsit & ipse Sigismundus ad  
eosdem, verbis adeo benignis, ut se, quod  
ab eis postulabat, obtenturum certo con-  
fideret. Neque hæ literæ omnino sine  
fructu abierunt.

*Vid. supr.  
Lib. CV.  
c. 89. & 90.*

## §. V.

## §. V.

Sæcul. XV.  
A.C. 1431.*Eugenius Papa Synodum dissolvere  
meditatur.*

Interea temporis Eugenius Papa probe cognoverat, nullos ferme Prælatos adhucdum Basileam venisse, & aliunde ob belli tumultus, qui Burgundum inter, & Austriacum Duces exorti fuissent, tutum ad Synodum haud patere aditum. His accesserunt iteratæ Græcorum preces, quibus Papa ab ipsis exoratus erat, ut juxta pacta per Martinum V. cum eis sancita, pro unione utriusque Ecclesiæ, Græcæ & Latinæ Synodum convocaret; ideo Eugenius, spectatis hisce omnibus, Basileense Concilium dissolvere, aut saltem ad aliam civitatem, Græcis viciniorem, transferre meditatur, recte existimans, bono Religionis nullatenus consultum iri, si uno eodemque tempore duo simul Concilia celebrarentur; opportunius proin fore, si intra spatium unius anni cum dimidio una duntaxat ejusmodi Synodus Bononiæ in Italia, post lapsum vero decem annorum altera, juxta Concilii Constantiensis decretum indiceretur. Quare hac super re ex consilio decem suorum Cardinalium, quos penes se habebat, ad Cardinalem Julianum literas dedit.

Sæcul. XV. dit. A.C. 1431. Ast Eugenii intentio aliis minus probabatur, qui eidem in responsis dederunt, fatius esse Synodum Basileæ, quam in quacunque alia urbe celebrari, eo quod civitas ista ad morum reformationem in Germania ceteris quibuscunque magis accommoda foret; quam ob rem a Pontifice petierunt, ut nomine suo nova fieret convocatio Prælatorum. Id tamen displicuit Eugenio, qui in sua de dissolvendo Concilio sententia jam obfirmatus erat, ac insuper quædam in sacræ Sedis, suæque auctoritatis præjudicium Basileæ agitari, probe cognoverat. Verum Cardinalis intima Eugenii consilia perscrutatus, ea, quam ab ipsomet acceperat, usus est potestate, & hac in causa se arbitrum esse ratus, die Veneris septima Decembris, Congregationem habuit, primamque sessionem proxima feria sexta, quæ erat decima quarta ejusdem mensis celebrandam indixit, eo minus ulteriori indulgendum moræ existimans, quo certius cognosceret, præcipuam revocandæ, vel saltem in alium locum transferendæ Synodi causam, quæ erat confluentium Prælatorum paucitas ab Eugenio allegata, jam penitus cessare; singulis quippe diebus plurimi advenerant Episcopi, Abbates, Regumque ac Principum Oratores. Sublata quoque erant viarum pericula, omnibusque tutus Basileam

*Spond. l. cit.*  
n. 19.

fileam dabatur accessus. Aliunde Car-  
dinalis Julianus satis perspectum habe-  
bat, summe necessariam esse ad res Ger-  
manicas æque ac Bohemicas Synodi  
Basileensis celebrationem, nec amplius  
posse absque ignominia, injuria, ac Prin-  
cipum, atque Prælatorum indignatione  
in alium locum, aliudve tempus remitti.  
Ergo Cardinalis die quarta decima De-  
cembris ad primam Sessionem habendam  
designata, ea de re Sigismundum certio-  
rem reddit. Imperator accepto Medio-  
lani nuntio, die undecima ejusdem men-  
sis ad Cardinalis & Concilii Epistolam re-  
sponsorias dedit, in quibus eorum fervo-  
rem commendans, pium comprobavit a-  
nimi propositum, hortatusque vehemen-  
ter, ut bene cæpta fortiter prosequeren-  
tur, & si qui forent, qui Concilium re-  
tardare, aut omnino dissolvere conaren-  
tur, eos a suo consortio præciderent;  
ex ejusmodi quippe mora, vel Concilii  
dissolutione maximum Ecclesiæ immine-  
re periculum præsentiebat. Pariter ad  
Pontificem literas dabat, quibus eundem  
a suo proposito dimovere satagebat, eum-  
que stimulabat, ut animum ad cele-  
brandam Synodum potius adjiceret, quam  
ab ea averteret.

Sæcul. XV.  
A.C.1431.



Sæcul. XV.  
A. C. 1431.

§. VI.

*Sessio 1. Basileensis Synodi.*

Illucescente igitur decima quarta Decembris die Basileæ in Ecclesia Cathedrali celebrata est Sessio prima, in qua sacro per Philibertum Constantiæ in Normannia Episcopum peracto, absolutisque de more precibus, Cardinalis Synodi Præses orationem habuit in hæc Isaiaæ Prophetæ verba: *Mundamini, qui portatis vasa Domini.* cap. 52. v. II. Adhortabatur in ea Patres, ut cum summa castimonia, morumque integritate mutuum, & sinceram inter se charitatem foverent, ac universalis Ecclesiæ necessitatibus ea sollicitudine prospicerent, quæ non modo supremum illius caput, sed singula etiam membra deceret. Finito hoc sermone Constantiensis Episcopus elatum conscendens solium clara & distincta voce, præsentibus Regis Romanorum, & Sabaudia Ducis Oratoribus, aliisque nobilitate generis longe præstantissimis sequentia statuta perlegit.

*Cont. Latbe*  
*to. 12. p. 459.*  
*§ 462.*

Primum erat decretum Concilii Constantinensis Sessione trigesima nona conditum de celebratione Conciliorum, quo sanciebatur, ut præsentis absoluto Concilio Generali proximum post quinquennium,

nium, tertium dein a fine secundi post <sup>saecul. XV.</sup>  
 septennium, reliqua demum a decennio <sup>A.C.1431.</sup>  
 in decennium perpetuo celebrentur in  
 locis, quæ Pontifex ante cujuslibet Sy-  
 nodi finem, approbante & consentiente  
 ipso Concilio assignaret. Absoluta hac  
 lectione publicabatur decretum unacum  
 Bulla Martini V., quibus civitas Basi-  
 leensis pro Concilio mox celebrando de-  
 stinabatur. Postmodum propositæ sunt <sup>Ibid. p. 465.</sup>  
 sex causæ seu rationes hujus Concilii <sup>§ 468.</sup>  
 celebrationem suadentes, ad quas veluti  
 ad scopum atque finem tota Synodi in-  
 tentio collimaret. I. Ut hæreses extir-  
 parentur. II. Ut omnes populi Christia-  
 ni ad unionem Ecclesiæ Catholicæ re-  
 ducerentur. III. Ut ea, quæ Orthodoxæ  
 fidei veritates spectant, edocerentur. IV.  
 Ut bella inter Principes Christianos ex-  
 orta sedarentur. V. Ut Ecclesia in Capi-  
 te & membris reformaretur. VI. Deni-  
 que, ut vetus Ecclesiæ disciplina, quan-  
 tum fieri posset, revocaretur. Cum ve-  
 ro ceteræ omnes rationes tandem redu-  
 cerentur ad restorationem Ecclesiæ, ve-  
 lut præcipuum Synodalis curæ articu-  
 lum, ideo Patres opportuna excogitabant  
 media, cautelasque necessarias, ut opta-  
 tum consequerentur successum, cunctis-  
 que, quæ interponi possent, obstaculis  
 provide occurrerent. Postremo innova-  
 ta fuere decreta in Concilio Constan-

Sæcul. XV.  
A.C. 1431.

tiensi publicata contra eos, qui Synodum perturbare, vel clandestinis artibus, vel aperta ac manifesta vi illius progressum impedire, aut Concilii membra invadere attentaverint; necnon adversus eos, qui a Synodo recesserint, quin prævie suas discedendi rationes exposuissent. Singulare sapientiæ ac prudentiæ suæ specimen exhibuerunt hujus Synodi Patres per raram sollicitudinem, atque solertiam, quam rebus controversis in Synodo enucleandis impenderunt. Præprimis igitur statuebant, cunctos Episcopos, qui ad Basileense Concilium accederent, in quatuor æquales distribui classes, ita, ut unaquæque classis mixtim complecteretur quosdam Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Parochos, aliosque tam sæculares, quam Regulares Theologiæ ac Decretorum Doctores, de quacunque demum natione aut Provincia essent. Quocirca, ut ejusmodi classes numero pares forent, singulis mensibus quatuor eligebantur Prælati, scilicet, ex qualibet classe unus, qui ceteros ad Synodum recens confluentes justo numero per classes suas distribueret. Præterea statutum, ut singulæ sibi unum Præsidem cum Syndico, Notario, aliisque Officialibus præficerent, ac tribus cujuslibet hebdomadæ diebus, nempe secunda, quarta & sexta feriis ordinatim conventus

ventus agerent, in quibus singulæ clas-  
 ses, seu *Deputationes* (ut Synodi Phrafi  
 utamur) mutuo inter se, atque etiam seor-  
 sim conferant de rebus, quæ controver-  
 sæ, ac examini subjiciendæ essent; si cui  
 vero foret animus quicquam proponen-  
 di, prius Præsidem, atque classis suæ so-  
 cium adiret, illumque desuper edoceret,  
 eo sine, ut hi socios suos ejus rei certio-  
 res redderent. Cum autem una classis  
 super proposita quæstione in eandem con-  
 venisset sententiam, in more positum e-  
 rat, ut quempiam ejusdem classis magis  
 idoneum seligerent, qui decisionem in hac  
 Deputatione factam ad ceteras tres clas-  
 ses deferret, unacum omnibus, quibus  
 nitebatur, rationum momentis, ut & illæ  
 suum hac de re iudicium ferrent. Si  
 vero contingeret, aliquam classem, seu  
 Deputationem in duas forte opiniones  
 dividi, quamvis una pars majori suffra-  
 gantium numero alteri prævaleret, nihi-  
 lominus ex qualibet dissidentium parte  
 seligeretur unus ceteris doctrinæ fama  
 præstantior, ad reliquas tres classes ab-  
 legandus, qui non solum horum opinio-  
 nes, sed etiam rationes, quibus utrinque  
 fulciebantur, illis proponeret. Quod si  
 eadem ac unanimis harum classium opi-  
 nio esset, quarta vero aliquod majoris  
 momenti dubium adhuc haberet, tunc ar-  
 ticulus, qui aliquid difficultatis præsefer-

Sæcul. XV.  
 A.C. 1431.

Sæcul. XV. re videretur, ad tres alias classes denuo  
A. C. 1431. examinandus deferretur; quotiescunque  
 autem aliquis privatus exponeret, quod  
 ex tempore de re proposita sententiam  
 suam dicere haud posset, ei spacium ad  
 consulendos libros, veritatemque inda-  
 gandam sufficiens concederetur. Deni-  
 que quolibet Mense Tres Viri ex singulis  
 classibus magis idonei seligerentur, qui  
 qualibet hebdomada in diebus, quibus  
 vacabatur, ceu classes non congregaban-  
 tur, conventus agerent.

Igitur hi duodecim Viri junctis con-  
 siliis de iis, quæ a quatuor illis classibus  
 discussa erant, conferebant, eo consilio, ut  
 Synodi Præsidem hac super re certio-  
 redderent, qui Congregationem genera-  
 lem indiceret, atque Synodica decisio in  
 publica Sessione fieret.

Hanc generalem Concilii Congrega-  
 tionem omnes quatuor nationes Basileæ,  
 quæ urbs est in Helvetia sita, congre-  
 gatæ constituebant. Ibi liberum unicui-  
 que erat circa articulum antea discussum,  
 ac postea definiendum rursus suam pro-  
 ponere sententiam. Hoc autem peracto,  
 Patres Sessionem publicam in Cathedrali  
 Ecclesia celebrabant, atque illius decisio  
 debitæ instructa actis Synodalibus inse-  
 rebatur. Hæc erat Concilii norma, at-  
 que solertia a Patribus Basileensis Syno-  
 di in enucleandis articulis non raro con-  
 tro-

troverfis adhibita. Procul dubio Synodus hanc agendi rationem adoptavit, ut nationis Italicæ artibus occurreret, quæ longe plures, quam ceteræ Episcopos recensebat, proin majori suffragiorum numero Ecclesiæ reformationem retardare, vel omnino impedire potuisset. Eadem hæc forma viginti quatuor retro annis observata est in Concilio Constantiensi. Tantam enimvero industriam, tantamque libertatem unquam datam fuisse, nec sæculorum hanc Synodum subsequantium, nec præcedentium monumenta loquuntur.

Nec minori providentia Synodus usa est, ut litibus ex honorum titulis, atque juribus suboriri solitis obviaret, huncque in finem decrevit, ut per quoscunque gradus, dignitates, vel in sedendo prærogativas, quas quisque in hoc Concilio assequeretur, nullum exinde ipsi jus de novo accresceret, nullique præjudicium generaretur. Præterea singulis, qui huic Concilio interessent, fructus suorum beneficiorum percipiendi facultas concedebatur, eorum absentia eos minime impediende. Tandem vero Synodi Officiales nominabantur, quos inter Notarii erant, Lucas de Viso, Cardinali Juliano ab epistolis, & Rudolphus Dioecesis Genevensis, quibus adjungebantur Henricus Nithartus, Decretorum Doctor, & Ludovicus Parisius

Sæcul. XV.  
A.C. 1431.

Sæcul. XV.  
A.C. 1431.

Parisius Licentiatus, qui universa Synodi acta postmodum conscribenda inspicerent. Promotores nominabantur Nicolaus Amici Theologiæ Licentiatus, & Henricus Anester Juris Canonici Licentiatus; Henrico autem Statero Trajectensi Decano, & Sandero de Marthausen datum est negotium, ut Synodi Patres in locis, & sedibus debito ordine collocarentur. His ita dispositis, Synodi locum accessit Concilii Præses, Pontificali ornata conspicuus, qui in Cathedra Episcopali prope Altare subsistens, vultum ad Patres convertit; hi autem pariter habitu Pontificio ornati ex utraque chori parte in sua quisque sede assistebant. Denique Principum Legati facie ad Præsidem directa in medio Ecclesiæ sua occupabant scamna; a tergo eorum sedebant supremi S. Ordinum Præpositi, Doctores, ceterique Clerici. Peractis precibus consuetis, unus sive duo ex Prælati suggestum conscendebant, & lectis decretis sciscitabantur, an omnia & singula approbarent; quibus Concilii Præses, ceterique cujuslibet Deputationis Prælati responderunt: *Placet*, & sic absoluta est Sessio.

## §. VII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1431.*Conventus Bituricensis.*

Proxima Sessio nonnisi sequenti anno celebrabatur, quo tempore intermedio plures habebantur congregationes, in quibus a Patribus deliberatum, quæ ratione Eugenium a præconcepto Synodum dissolvendi proposito dimoverent. Hanc ob causam Ecclesiæ Gallicanæ Præsules auctoritate Regia Biturigibus conventum agunt, & die vigesima sexta Februarii quædam decreta, vel *avisamenta*, (prout illa ætate loquebantur) condunt, in quibus Concilium legitime convocatum, & Basileæ celebrandum, nec in aliam urbem transferendum esse declararunt; hinc Regem Christianissimum exorabant, ut ad Pontificem suos mitteret Legatos, qui Ecclesiæ necessitates, atque universam Christianæ Religionis salutem proponendo Eugenium permoverent, ut Basileensem Synodum continuaret, sicque tam suis, quam fidei hostibus os obturaret, Eundem quoque Regem Carolum VII. rogarunt, ut datis ad Sigismundum Romanorum Regem, & ad Sabaudia, ac Mediolani Duces literis, eos ad promovendam hanc Synodum, necnon ad itinerum, præcipue versus Romanam,

Joa. Chart.  
hist. Car. VII.Conc. Gen.  
Labbe append. I. tom.  
12. p. 813.

mam,



Sæcul. XV.  
A.C. 1431.

mam, securitatem sollicitè curandam adhortaretur. In hoc Bituricensi conventu designabatur Amadæus Lugdunensis Archiepiscopus, postea Cardinalis, qui nomine Regis, atque Cleri sua Pontifici obsequia deferret. Supplicarunt etiam Regi, ut ad Synodum suos legatos mitteret, necnon Regni sui Prælati illud accedendi libertatem concederet; Annuit Rex, eisdemque pro necessariis expensis quarta decimarum pars assignata fuit.

§. VIII.

*Literæ encyclicæ Patrum pro continuatione Concilii.*

Ne igitur rumoribus, quibus Synodum a Papa proxime dissolvendam evulgabatur, reliqui Prælati absterriti, Basileam se conferre negligenter, Concilii Patres die vigesima prima Januarii hujus anni ad universos Christi fideles encyclicas dederunt literas, quibus eos certiores fecerunt, se unanimi suffragio decrevisse, atque ordinasse, inchoatum semel, rite ac legitime convocatum Concilium se prosecuturos, nec ullo pacto Basilea discessuros, donec penitus absolutum fuisset; singulos adhortati, ut in hoc proposito eos adjuvarent, Prælati quidem sub pœnis in jure statutis injunxerunt, ut ad  
Synodum

Synodum venire festinarent; Reges au-  
tem & Principes datis literis pariter ro-  
garunt, ut Concilio faverent, & suos Præ-  
latos mitterent. Literarum, quas ad Po-  
loniæ Regem scripserunt, exemplar ex-  
stat in Appendice Actorum Concilii,  
Quibus ita dispositis, secundam sessio-  
nem celebrarunt.

Sæcul. XV.  
A.C. 1432.

Concil. to. 12.  
p. 832.

## §. IX.

*Secunda Concilii Basileensis Sessio.*

Die decima quinta Februarii Anno sa-  
lutis millesimo quadringentesimo  
trigesimo secundo altera habita est Basi-  
leensis Synodi Sessio, in qua præprimis  
condebatur decretum, vi cujus Synodi  
auctoritas firmaretur, & Eugenius illam  
vel dissolvere, vel transferre prohibere-  
tur. Hanc ob causam duo illa IV. & V.  
Sessionis Concilii Constantiensis Decreta  
confirmata fuere. Ante omnia declara-  
runt Patres, quod ipsa Synodus in Spiritu  
Sancto congregata generale Concilium re-  
presentans, potestatem immediate a Christo  
habeat, cui quilibet cujuscunque status, vel  
dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire  
tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, &  
extirpationem dicti schismatis, & ad gene-  
ralem reformationem Ecclesie Dei in capi-  
te & in membris. In secundo vero decla-  
ravit Synodus, quod quicumque cujuscunque  
Histor. Eccles. Tom. XXVII. B status

Labb. Conc.  
to. 12. p. 477.

Sæcul. XV.  
A.C. 1432.

*status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, qui mandatis ac statutis hujus Synodi, & cujuscunque alterius Concilii generalis obedire contempserit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur. Vigore horum Decretorum, & vi statuti celebrationem Conciliorum generalium præcipientis, Synodus Basileensis decernit, quod per nullum quavis auctoritate, etiamsi Papali dignitate præfulgeat, dissolvi, aut ad alium locum transferri, vel ad aliud tempus prorogari debuit, aut potuit, debet, aut potest, debeat, aut poterit in futurum, absque ejusdem Synodi Basileensis deliberatione atque consensu. Eadem quoque declarat, quod si quisquam, quavis auctoritate etiam Papali insignitus, vel ejus celebrationem impediendo, vel personas ibidem actu existentes, vel interfuturas ad alium locum evocando, quicquam in contrarium attentaverit, id omne irritum esset, ac inane. Præterea statuit, quod ab hoc loco illi, qui tenerentur huic Concilio interesse, quacunque ex causa absque Synodi consensu non recederent; censuras, interdicta aut suspensiones, quascunque contra Synodi membra Pontifex vibraturus esset, irritas esse, ac nullatenus ligare declarat. Patres ad media ista arripienda compulsi sunt allato ad eos nuntio, quo Eugenium Pontificem ad dissolvendam Synodum jamjam decretum edidisse,*

disse, certe compererant (\*). Papa e-  
nim intelligens, quod omnes sacro Eccle-  
siam reformandi studio accensi certatim  
Basi-

sæcul. XV.  
A. C. 1432.

(\*) Perperam hæc caussa allegatur, potius  
audiendus est Eugenius Lombardus, vel quis-  
cunque libri, cui titulus: *Regale Sacerdotium*  
auctor est, qui dicit: *Multa sunt, quæ Basi-*  
*leensibus ad hæc audenda animos faciebant, sed*  
*ambitio præsertim Principum sæcularium armis*  
*subnixæ. Adeo ad Papatum aspirabant, ut*  
*perinde ac sublato Eugenio, vacuaque Sede de*  
*modo eligendi Pontificem disceptarent, deque*  
*conditionibus, quas electio præscriberent. Furebat,*  
*miscibatque omnia Dominicus de Capranica, pur-*  
*puram illi negante Eugenio, quæ caussa alios*  
*quoque in Pontificem armabat. Philippus Ma-*  
*ria Dux Mediolanensis ab ipso in Pontifica-*  
*tum ingressu Eugenio infestus, Columnenses in*  
*eam concitarat &c. lib. 2. §. 16. Basileensium*  
acta jam toties & a plurimis, præcipue Joan-  
ne Turrecremata, qui huic Concilio interfuit,  
usque adeo improbata fuere, ut ea hic repe-  
tere tædiosum foret; nec satis mirari possu-  
mus, Continuatores, ejusque socios talia pro  
fundamentali lapide suæ doctrinæ assumere non  
erubuisse, cum tamen ipsemet Carolus VII,  
Galliarum Rex, postquam de iniquitate causæ,  
Basileensium ambitione, & attentata Monar-  
chiæ Ecclesiasticæ in Democratiam depressione  
edoctus

Sæcul. XV. A.C. 1432. Basileam convolarent, necnon Prælatorum, atque Doctorum maximus, justusque numerus pro Synodo constituenda convenisset, huic ardori sibi satis molesto remoram injicere meditabatur.

§. X.

edoctus fuerat, per solemnem deputationem ad Eugenium, Pontifici auctoritatem super Concilium asseruerit. Vide *Gaguinum in Carol. VII. & Raynaldum Odor. in annum 1441. n. 10.* aliosve plures. Sufficit tam a Græca quam latina Ecclesia Concilium Florentinum, quod Eugenius Basileensi opposuit, tanquam legitimum fuisse adoptatum; sic enim totius orbis suffragio, ipsoque factō comprobatum manet, quod Papa Concilio, quod dissolvit, superior existat. Sufficit denique, certo constare, quod in hac Synodo, quam S. Antoninus 3. p. tract. 22. cap. 10. §. 4. conciliabulum, B. Capistranus de Papæ & Concil. auctoritate p. 3. speluncam Basiliscorum, dæmonumque cavernam, appellant, cuncta per ambitionem summam, vias, factiones, violentiam, tumultus, & tandem latrocinia peracta, adeo ut oportuerit Principes armis, Deum peste, ad dissipandum tam perniciosum Ecclesiæ conventum accingi. Ita Lombardus loc. cit.

§. X.

Sæcul. XV.  
A.C.1432.*Papæ ad Cardinalem Julianum  
literæ de Synodo dissolvenda.*

Hunc in finem Eugenius Archiepiscopum Tarentinum, & Colossensem Episcopum ad Julianum Cardinalem ablegat, qui eum vel ad dissolvendam vel suspendendam Synodum adhortarentur. Prætexebat Pontifex, quod unio Græcorum cum Latinis in Concilio Senensi inchoata, Basileæ perfici haud valeret Græcis absentibus, qui tamen ob ingentem loci distantiam nonnisi post longum temporis spatium eo perducii possent; Hæ erant rationes, quæ Pontifici ad Concilium vel dissolvendum, vel Bononiam in Italiam transferendum oppido graves videbantur, quibus subjunxit, sibi præterea dictam urbem magis commodam fore, ut & ipse Synodo interesse, eidemque præsidere posset. Cum vero Eugenius ipsam Ecclesiæ emendationem impedire præcipue moliretur, Patres firmitati Synodi consulturi, duo illa Decreta superius allegata innovarunt, decernentes, Papam nequaquam posse Concilium dissolvere, nec in alium locum transferre. Inde elucet, hæc duo decreta tempore Basileensis Synodi ejusdem fuisse auctoritatis,

B 3.                   atque

Sæcul. XV. atque valoris, ac erant tempore Schis-  
 A C. 1432. maticis, quod Constantiensis Synodi con-  
 vocationi occasionem dederat, eoquod  
 Basileensis Synodus ea de novo confir-  
 masset, & extincto jam schismate actis  
 suis inseruisset. Itaque a vero abludit,  
 quod duo ista Decreta, prout nonnulli ex-  
 istimant, duntaxat ab obedientia Joannis  
 XXIII. comprobata, & solum pro tempo-  
 re schismatis, quando adhuc de legitimo  
 capite dubium erat, vim obtinuerint;  
 Eugenius enim tunc a tota Ecclesia ve-  
 lut verus Pontifex colebatur (\*).

§. XI.

*Epistola I. Cardinalis Juliani ad  
 Eugenium.*

Nihilominus Cardinalis Julianus cur-  
 cta ista a Patribus provide disposita,  
 necdum sufficere arbitrabatur, hinc id  
 mune-

(\*) Si Schisma extinctum, si Eugenius Pa-  
 pa ab universa Ecclesia velut verus, & unicus  
 habebatur Pontifex, qua ratione Continuator  
 Libro CX. §. I. II. & IV. necnon in Præfatione  
 ad tomum XXV. illud nonnisi anno 1449. fuis-  
 se extinctum, ac annos omnino quinquaginta  
 tenuisse refert, haud videmus; nisi illud a Ba-  
 sileensibus Patribus per iniquam Eugenii veri  
 Pontificis depositionem resuscitatum confite-  
 ri velit.

muneris sui esse ratus, ad ipsum Pontificem literas dedit, quibus eidem, plena libertate, pari tamen supremo Capiti debita submissione, exposuit, quantum Synodi dissolutio, quam velut certam ruinam ac Ecclesiæ everfionem depingebat, sibi displiceret. Æneas Sylvius binas recitat hujus Cardinalis epistolas, stylo vere Apostolico conceptas, robore plenas, ac Christiana libertate omni ex parte insignes (\*).

*Beatissime Pater, inquit Cardinalis, multa me cogunt libere, & intrepide loqui ad sanctitatem vestram, magna cum fiducia loquor, nec parcam, si opus sit, verbis asperis,*

(\*) Spondanus ad an. 1432. § 3. de prima Juliani epistola dicit: Quæ sane, cum ingenti verborum vehementia scripta esse constet, ideo eam Juliani esse, cujus plerique omnes modestiam laudant, vix multi induci possunt, ut credant; ut autem & nos non solum de hoc dubitemus, verum etiam omnino suspectum habeamus, suadet, quod non reperiatur in actis Navarricis, ubi tamen descripta habetur alia ejusdem generis Epistola Juliani. Nisi Julianum sic scribere, a ceteris coactum dixerimus. *Ejusdem vero Epistolæ argumenta confutata per Joannem de Turrecremata legere potes in Odorico Raynalde ad annum 1434. n. 2.*



Sæcul. XV. ris, quia, ut inquit D. Bernardus, vera amicitia nonnunquam objurgationem habet, A.C. 1432. adulationem vero nunquam. Quod si secus facerem, sacrilegii, & infidelitatis apud Deum, & hominem reus viderer. Percipiamus quoque rationes, quas Cardinalis iste allegabat, ut Pontificem a Synodi dissolutione absterreret.

I. Bohemi, inquit, jamjam ad Concilium vocati sunt, ut de mediis, quibus Græci cum Latinis denuo unirentur, agere possent. Hi literas, quas Synodi Deputati obtulerant, jam acceperunt, ac in responsis dederunt, se Concilio adfuturos, dummodo de quatuor illis articulis tractaretur, ad quos tota eorum a Catholicis dissensio reducitur; quos inferius recensebimus. *Jam vero, prosequitur Cardinalis, si Concilium dissolvitur, quid dicent hæretici? Nonne Ecclesia fatebitur se esse victam, cum non ausa fuerit expectare illos, quos vocaverat? Approbabimus per hanc fugam errores eorum, & condemnabimus veritatem, & justitiam nostram.*

II. Omnes fideles ob ejusmodi dissolutionem turbabuntur, existimantes, quod propter hanc fugam nostra doctrina falsa sit, cum nos ipsi non audeamus illam defendere contra Bohemorum errores. Postmodum Papam Eugenium adhortatur, ut a suo proposito desistat, propriæ fidei consulturus utilitati, *cum Bohemi, in-*  
*quiebat*

quiebat ille, jam pluries, & nunc proximis Sæcul. XV.  
 diebus diffuderint per totam Alemaniam libel- A. C. 1432.  
 los famosos continentes non modo articulos  
 contra fidem, sed præsertim contra statum Ec-  
 clesiasticum, & Sedem Apostolicam in detra-  
 ctionem Curie Romanæ.

III. Jam ubique publicatum est Con-  
 ciliium istud, præcipue congregatum pro  
 hæresi Bohemiæ extirpanda. Quanta,  
 inquit idem Cardinalis, postea confusio &  
 ignominia erit Ecclesiæ, si re infecta recedat?  
 Quid dicet universus orbis, cum hoc sentiet?  
 Nonne judicabit, Clerum esse incorrigibilem,  
 & velle semper in suis deformitatibus sor-  
 descere? Et cum jam nulla spes supererit  
 de nostra correctione, irruent merito laici in  
 nos more Hussitarum, & dicetur nobis, quod  
 irridemus Deum & homines. Ah! quis ho-  
 nor erit Romanæ Curie, quæ Conciliium con-  
 gregatum pro reformatione turbavit. Certe  
 totum odium, tota culpa & ignominia trans-  
 feretur in illam tanquam causam & auctri-  
 cem tot malorum.

IV. Notum est hoc Conciliium congrega-  
 ri pro pace inter Reges & Principes Catho-  
 licos; jam invitati sunt præcipue Reges  
 Franciæ & Angliæ tamdiu inter se bellan-  
 tes. Si modo hoc fiat, nunquam credemini,  
 putabunt homines omnia fide fieri. Jam  
 igitur de nullo homine nec fides habebitur, si  
 tali macula modo Sanctitas vestra permittat  
 se inquinari. Adde, beatissime Pater, profe-  
 quitur

Sæcul. XV.

A. C. 1432.

quitur Cardinalis, quod *Militares, & nobiles de Alemania obtulerint se ducere potentissimum exercitum proxima æstate in Bohemiam, dummodo daretur eis subsidium triginta millium Ducatorum. Scripsi de super Sanctitati vestræ jam quarta vice* (\*), *& necdum responsum habui. Tandem de consilio Concilii scripsi eis promittendo tale subsidium, sollicitavi eos ad prosecutionem tam sancti operis, pro quo Sedes Apostolica debuisset vendere Cruces, & Calices, & statim subvenire. Quod si dissolvatur Concilium, cujus nomine illi requisiti sunt, & etiam promissio facta, quid dicent illi? Nonne dimittent hoc, quod incæperant, quod erit maximum damnum, & audacia: nimia dabitur hæreticis, & nostris dissidentia, absque omni spe incutietur timor, & cogentur concordare cum hæreticis? Nonne tota militia, & Nobilitas Alemaniæ, videns se delusam, & deceptam per Ecclesiam, irritabitur contra Clerum? Finaliter, pergit Cardinalis, totum*

(\*) In textu Epistolæ habetur: *jam sunt QUATUOR MENSES, quod hoc annuntiavi sanctitati vestræ, nec adhuc habui responsum. Observandum est, quod Continuator hanc Epistolam suo ordine non recenset, sed aliqua omiserit, alia addiderit, nunc quædam ex fine illius, nunc ex medio, nunc ex principio alia mutuando eam confarcinaverit:*

onus, & omnis nota redundabit in Sedem Apostolicam, & Sanctitatem vestram, quia ad literas meas, quibus hoc subsidium Militaribus mitti rogabam, non respondit. Putabam quod Sanctitas vestra mitteret mihi subsidium petatum, & nuntiaret, ut urgeam dissolutionem Concilii, in quo unica spes; ut si forsitan ex Curia non provideretur, saltem hic inveniretur subventio; etiamsi essetis certi perdere Romam, & totum patrimonium Ecclesiae, potius subveniendum esset fidei & animabus, pro quibus Dominus noster Iesus Christus mortuus est, quam arcibus & mœnibus civitatum.

Denique Cardinalis Julianus in eadem Epistola insinuat Pontifici: posito, quod nihil eorum bonorum, quae praedicta sunt, ex hoc Concilio sequeretur, si perseveraret; tamen si dissolvatur, omnes dicent, si non fuisset dissolutum, tot & tanta bona processissent. Postmodum cunctae rationes, quae Papa ad dissolvendam Synodum allegavit, refellit, ac conqueritur, quod illi, qui literas de hac dissolutione ad se attulissent, toties mentem & linguam mutaverint, atque ambiguis verborum lusibus usi fuerint. Ast graviore longe sermone describit periculum futuri schismatis, significans Pontifici, quod Patres Concilii omnino decreverint stare hic, & continuare Concilium, demum exponit rationes, ex quibus Patres reprobaverunt Bullam de dissolven-

Saecul. XV.  
A.C. 1432

Sæcul. XV. solvenda Synodo editam, atque Archi-  
 A. C. 1432. episcopo Tarentino mandatam. Idem  
 Cardinalis hanc Bullam, ut Pontificis in-  
 tentionem purgaret, ac honesto titulo co-  
 loraret, Viris doctis expertisque præle-  
 git, qui eam examinandam assumpserunt.  
 Jam nunc percipiamus rationes, seu po-  
 tius prætextus, quos ad inducendos Con-  
 cillii Patres, ut a Synodo recederent, Eu-  
 genius allegaverat.

## §. XII.

*Bulla Eugenii Papæ pro dissolvendo  
Concilio.*

*Labbe Conc.* Obtendebat. I. nonnullos ex Basileæ ci-  
*to. 12. p. 937.* vibus Bohemorum hæresi infectos  
 esse, atque adeo non ab eis Clericos de-  
 fendi, ut etiam violenter opprimerentur.  
 Verum hanc rationem falsam esse decla-  
 rabant, certisque probabant argumentis,  
 cunctos Basileensis urbis cives orthodoxæ  
 fidei apprime addictos, ipsosque Clericis  
 bene affectos esse. II. Prætexit conti-  
 nua Burgundum inter & Austriacum Du-  
 ces bella, ob quæ tutus non esset aditus.  
 Ast respondebant illi, pactas esse inducias  
 inter utrumque Ducem, nec ullum, qui  
 ad Synodum accessisset, offensum, vel in  
 suo itinere Basileam versus molestatum  
 fuisse. III. Unionem Græcorum cum La-  
 tinis caussabatur, cui, ut inquiebat, tam  
 præ-

præproperum Synodi cogendæ studium vel maxime obstaret. Verum hanc quoque rationem non subsistere, imo ridiculam esse asserbant; absurdum enim arbitrabantur, si propter incertam Græcorum unionem permitteretur, ut Germania nunc semperque in fide constanter permanens labatur in Bohemorum hæresim, cum tamen Græcorum unio, quoties fuisset cæpta, toties dissoluta fuerit. Ista cantilena de Græcis, inquiebant Patres, trecentos jamjam annos obtinet, omnique anno recantatur. IV. Dicebat Eugenius, seipsum Concilio interesse velle, ex quo inferebat, illud igitur intra Italiæ fines convocandum esse. Hæc ratio non minus quam ceteræ, frivola censebatur; si enim periculum fidei, totique Ecclesiastico statui jamjam impendens attendatur, ineptum judicabant, ideo Synodum a Papa dissolvendam, eoquod ipse per se eidem assistere nequeat; cum tamen ejusdem Legatus præsens esse posset. Hæ erant rationes ab Eugenio in sua Bulla productæ, quibus tamen nullum prorsus robur fuisse, ex allatis responsis manifeste apparet.

§. XIII.

*Epistola II. Juliani Cardinalis ad eundem Papam.*

Igitur Julianus Cardinalis has Papæ litteras *Æn. Sylv. los. cit.*

Sæcul. XV.  
A.C. 1432.

Sæcul. XV.  
A. C. 1432.

teras nihil moratus, alteram ad eundem perscripsit epistolam, acerbioribus adhuc verbis, necnon gravioribus argumentis suffultam. Præprimis Eugenio ante oculos ponit ingens Bohemorum gaudium, quo affecti erant, ubi de futura pace nuncium accepissent; eidem quoque insinuat paratissimum eorum ad Synodum accedendi animum, dummodo securitatis sponcione munirentur. Postmodum ait: *Quam laudabiliter ageret Sanctitas vestra, si dimissa Italia, & omnibus rebus, quarum custodia atque defensio per Vicarios posset disponi, huc personaliter se conferret, hoc enim est, prosequitur Cardinalis, verum Ecclesie Patrimonium, luerifacere animas. Non enim Ecclesia est congregatio lapidum, & murorum. Non custodem vocavit Christus castrorum, & mœnium, sed Pastorem animarum: proinde quod magis necessarium est, & Christo carius, id in propria Persona agendum est, cætera per substitutos.* Demum eidem in memoriam revocat, quæ in Galliis, postquam illuc rumor de Synodi dissolutione pervenerat, nuperrime gesta fuissent; dum nempe Regni hujus Prælati nuncio hoc commoti, in Bituricensi Civitate jussu Regis, die vigesima sexta Februarii Anno quadringentesimo trigesimo primo supra millesimum convenerant, communi consilio declarantes, Synodum Basileensem esse legitime con-

congregatam, nec ullatenus interrumpen- Sæcul. XV.  
 dam, sed omnino in eodem loco conti- A.C. 1432.  
 nuandam. Præfatam Bituricensium sen-  
 tentiam Archiepiscopus Lugdunensis tam  
 ad Synodum, quam ad ipsum Cardina-  
 lem transmiserat, unacum rationibus, qui- Labbe l. c.  
 bus Ecclesia Gallicana ad ejusmodi deci- p. 978. 998.  
 sionem impulsæ dicebatur; cujus apogra-  
 phum ipsi Eugenio Papæ per alios trans-  
 missum fuisse, Julianus se minime dubita-  
 re affirmabat. Jam enim Ludovicus Ma-  
 retius Lausanensis Episcopus ejusmodi  
 exemplum a quodam obtinuit Episcopo,  
 qui conventui Bituricensi intererat; &  
 haud alius ac præfatus Archiepiscopus  
 Lugdunensis esse creditur. Ut ut res se  
 habuerit, eundem se plurimum Basileen-  
 sis Synodi auctoritati deferre in sua epi-  
 stola ostendit, quamvis ceteroquin obte-  
 stetur, quod expediat cum multa man-  
 suetudine tractare Dominum nostrum Pa-  
 pam Eugenum, eo potissimum nomine,  
 quod Pontifex esset omnium laude dignis-  
 simus, atque aliunde *caput Ecclesiæ, de-* Spoud. ad  
*presso autem capite arida, & infructuosa* an. 1432. n. 5.  
*manerent membra.*

Rationes vero, ex quibus Bituricen-  
 ses Prælati ad tuendam Basileensem Sy-  
 nodum tam acriter impellebantur, præci-  
 pue erant. I. Bohemorum hæresis, quæ  
 in tota Germania jam plurimum invalue-  
 rat. II. Necessitas reformandi Germaniæ  
 Cle-



Sæcul. XV.  
A. C. 1432.

Clerum, qui a longo tempore gravi morum corruptione ubique infectus erat. III. Expedita Bohemos ad fidem reducendi, si Synodum accessuri sint, vel si ire recusarent, saltem eosdem compescendi occasio; tunc enim omnes confestim adversus eos arma juncturi essent, & universalis Ecclesia contra eorum errores veritatem tueri posset. IV. Sin vero ad Synodum venire detrectaverint, postquam summis precibus ad eam invitati fuerant, saltem per hoc illis ablata foret omnis de Catholicis conquerendi ansa, dicendique, quod indicta causa condemnati fuissent.

Igitur Julianus Cardinalis, ut Basileensem Synodum contra Eugenium vindicaret, opportune usus est flagranti Gallicanæ Ecclesiæ studio. Equidem in sua Epistola acerba nimium, justa tamen verborum vehementia redarguit conatus, quibus Papa, licet tot illustres Prælati adversarentur, Concilium dissolvere meditabatur: *Num jam hoc est, inquit Cardinalis, resistere voluntati Dei? Cur provocatis Ecclesiam ad indignationem? cur irritatis populum Christianum?* Cum vero alii Papæ persuaderent, Basileense Concilium non esse legitimum, hancque ob causam illud præcipue dissolvere Papa niteretur, hinc Cardinalis Eugenio, ut eum ab hoc errore eximeret, sequentem pro-

protulit rationem; *An hoc Concilium, in-* Sæcul. XV.  
A. C. 1432.  
*quit legitimum sit, ex Concilio Constantiensi*  
*dependet: Si illud verum fuit, & istud.*  
*Nemo autem dubitare visus est, an illud legi-*  
*timum fuerit, alias fateri necesse haberet, pri-*  
*vationem olim Joannis factam vigore illo-*  
*rum decretorum non valuisse. Si illa non*  
*valuit, nec Papæ Martini tenuit electio, fa-*  
*cta illo adhuc superstite. Si Martinus non*  
*fuit Papa, nec Sanctitas vestra est, quæ per*  
*Cardinales ab ipso factos electa est. Nul-*  
*lius ergo, infert Cardinalis, magis interest*  
*defendere decreta illius Concilii, quam ve-*  
*stra. Et si quocumque illius Concilii de-*  
*cretum revocetur in dubium, eadem ra-*  
*tione poterunt revocari & reliqua. Tan-*  
*dem ad Pontificem dicit, quod dis-*  
*solvere Synodum, ejus excederet po-*  
*testatem. Afferunt enim, inquit ipse, præ-*  
*dictam dissolutionem fieri non potuisse, ob-*  
*stante quodam decreto Constantiensis Concilii,*  
*quod in his, quæ pertinent ad fidem, & ex-*  
*tirpationem schismatis, & ad reformatio-*  
*nem Ecclesiæ in capite, & in membris quem-*  
*libet cujuscunque conditionis etiam Papalis*  
*statuit teneri obedire statutis Concilii genera-*  
*lis. Ecce, subjungit, posse statuere in ali-*  
*quem, posse præcipere, posse punire non obe-*  
*dentem, signa sunt evidentia superioritatis,*  
*teneri autem obedire, & subjici ac parere*  
*signa sunt inferioritatis, Ergo necessario*  
*infertur, quod Papa, ut dicunt sit inferior*  
*Hist. Eccles. Tom. XXVII. C con-*

Sæcul. XV. A. C. 1432. *concilio in prædictis casibus, quod etiam factum probatum fuit; Nam propter unum de tribus casibus: scilicet ob pravitatem morum Concilium privavit Joannem, & propter alterum extirpationem schismatis privavit Benedictum.) Ergo Papa non potest dissolvere concilium, quod congregatum esset propter extirpandas hæreses, faciendam pacem, reformandos mores, uti fuerunt Concilia Constantiense, Senense, & Basileense. Porro hoc Constantiensis Synodi decretum Martinus V. Papa approbavit; Eugenius quoque illud acceptavit; illius ergo dissolutionem præcipere haud potuit. En totum, ad quod Cardinalis Juliani oratio reducitur, qui certe majori modestia erga summum Pontificem usus esset, nisi sibi magis amica fuisset veritas, quam sua dignitas, qua inter Cardinales præfulgebat. Nihilominus in calce Epistolæ libertatis suæ veniam a Pontifice sibi dandam petiit, obtestans, id se nullatenus perversa cavillandi voluntate, sed sincera fide, rectæque mentis studio, ut Christianum decet, scripsisse. Allata hac excusatione hunc in modum suas absolvit literas: *Dixi sæpe, & jam dico, & protestor coram Deo & hominibus, quod causa eritis schismatis, & infinitorum malorum, si non mutaveritis consilium (\*).**

§. XIV.

(\*) Continuator totus fuit in exaggerandis

## §. XIV.

Sæcul. XV.

A.C. 1432.

*Responsio Synodalis ad Papæ Eugenii Legatos.*

Synodi Patres, quibus Cardinalis Juliani studium probabatur, cum gaudio Labb. Conc. to. 12. p. 637. pios ejusdem conatus fovebant, prout ex responso Synodali Eugenii Papæ Legatis dato elucet, in quo, postquam exposuerant, quam grave scandalum tota Ecclesia per dissolutionem Synodi pateretur, summum Pontificem rogant, ut nolit contristari Spiritum sanctum, sed potius, *sicut Catholicum Pontificem decet, velit Ecclesiæ Catho-*

C 2

Catho-

dis his Juliani epistolis, & tamen oblitus est monere Lectorem, quod hic idem Cardinalis cognito suo errore, relicto Felice V Antipapæ a Basileensibus intruso, Eugenio adhæserit, Viennæ Ænæ Sylvio dixerit, ac protestatus fuerit, *salvari eum non posse, qui S. Romanæ Ecclesiæ non teneret unitatem*, & tandem, quod ipse dictum Sylvium, qui Basileensem Synodum maxime quoad decretum de superioritate Concilii defenderat, suis frequentibus colloquiis ad saniora reduxerit. Simulque cum non paucis, iisque doctrina, ac pietate conspicuis Viris affirmaverit, *scire se Basileenses Spiritum sanctum non habere ductorem*. Hæc & plura alia ex ipsa Ænæ Sylvii, postea Pii II. retractione discere potuisset Continuator.

Sæcul. XV. *Catholicæ se conjungere, quam hoc sacrum*  
A. C. 1432. *Concilium repræsentat, tandem rationes*  
 ad suadendam Synodi dissolutionem ab Oratoribus allatas refellere nituntur; cumque illæ omnes eo collimarent, ut Papam Synodo superiorem esse convincerent, ideo Basileenses Patres ex adverso Synodi auctoritatem supra Papam extollere conati sunt. Præprimis tanquam primum doctrinæ suæ caput hoc adoptant principium, *Nos ipsi Papam caput Ecclesiæ esse fatemur, & credimus; nihilominus dicimus, ipsum Romanum Pontificem obedire teneri statutis Concilii Generalis legitime congregati in his, quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem schismatis, & ad reformationem Ecclesiæ, quemadmodum declaratum exstitit per Generale Concilium Constantiense.* Hoc præsupposito principio, eorum audiamus argumenta.

I. Nemini dubia est *Ecclesiæ Catholicæ auctoritas*, nec minus certum, quod omnia, quæ ipsa recipit, æqualiter ab omnibus fidelibus recipienda sint. *Ideo B. Augustinus in plerisque locis asserit: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ auctoritas commoveret. Hæc sancta Ecclesia tanto privilegio a Christo Domino dotata est, ut eam errare non posse firmiter credamus. Hæc sunt certa principia; jam autem ista infallibilitas præter Ecclesiam nemini competit: non Angelis; hi enim a principio errant.*

re potuerant, & multi ex eis errarunt, non primis parentibus; nam a Diabolo decepti sunt, non summis Pontificibus, quorum nulli in errores lapsi dicuntur (\*). Ergo sola Ecclesia potest leges condere, quæ universaliter omnes obligent fideles.

II. Generalium Conciliorum & Ecclesiæ Catholicæ eadem videtur esse potestas. *Labbe Cont. De- tom. 12. p. 673.*  
 finitum enim in Concilio Constantiensi, quod Synodus Generalis in Spiritu sancto legitime congregata Catholicam repræsentet Ecclesiam,

C 3

(\*). Basileenses non hanc, sed illam intulerunt conclusionem, Ergo Ecclesia sola sine ruga, sine macula est, illa est, quæ errare non potest in iis, quæ ad salutem necessaria sunt. Hæc deductio si de Ecclesia non acephala intelligitur, verissima est, non autem conclusio Continuatoris, quæ si intelligitur de Ecclesia excluso Pontifice, erronea est. Melius ergo intulisset. Ergo cum hujus Ecclesiæ caput, Primas, Vicarius Christi & Pastor sit (prout ipsi fatentur & credunt) Romanus Pontifex, illi obedire tenetur Ecclesia; Ex adverso ex conclusione Continuatoris sequeretur, summum Pontificem non posse condere leges, quæ universaliter omnes obligarent fideles, proin Leo X. male damnaffet hanc Lutheri propositionem: Certum est in manu Ecclesiæ aut Papæ non esse statuere articulos fidei, imo nec leges morum, seu bonorum operum.

Sæcul. XV. *clesiam, et potestatem a Christo immediate*  
 A. C. 1432. *habeat. Idem etiam Martinus V. in suis*  
*literis Apostolicis dixit: quæcunque in Con-*  
*cilio Constantiensi de auctoritate Ecclesie di-*  
*cta sunt, trahi ad Generale Concilium, quod*  
*illam repræsentat necesse est (\*). Alioquin*  
*non recta esset repræsentatio, si eadem in re-*  
*præsentante & repræsentato auctoritas non*  
*inisset. Ex quo sequitur, Concilia Gene-*  
*ralia errare non posse, eo quod ipsa sint*  
*Ecclesia. Et hoc solum, subjungunt, satis*  
*foret ad probandum omnem Concilii potesta-*  
*tem, nec alia probatione uti necessarium vide-*  
*retur,*

*Ibid.* III. *Etiam si Papa sit caput Ministeriale*  
*Ecclesie (ut cum Concilii Basileensis Pa-*  
*tribus loquamur) non tamen major est to-*  
*tâ Ecclesia; quia ratio, experientia, & au-*  
*thoritas dicunt contrarium. Ratio, quia re-*  
*liquum totum corpus, etiam non computato*  
*Papa, secundum legem communem errare*  
 non

(\*) Denuo Continuator infidelitatis postu-  
 lari posset, nam ista verba *quæcunque &c.* con-  
 nectit, & recenset tanquam a Martino V. prola-  
 ta, quod tamen falsissimum est, cum sint solum-  
 modo a Basileensibus dicta. Percipe enim eo-  
 rum verba: *Idem Martinus Papa in suis literis*  
*Apostolicis sententias quasdam Concilii Constans-*  
*tiensis exprimit. (NB. hic interponitur pun-*  
*ctum.) Quæcunque igitur proxime dicta sunt*  
*de auctoritate &c.*

non potest in his, quæ sunt fidei. *Experientia* Sæcul. XV.  
 etiam demonstrat, quia sæpe experti sumus, A. C. 1432.  
 Et legimus, Papam, licet caput hujus corpo-  
 ris, errasse, reliquum autem corpus errasse  
 nunquam legimus, propterea condemnavit, aut  
 deposuit Papam tam ratione fidei, quam mo-  
 rum. Sed nunquam Papa condemnavit, aut  
 excommunicavit, aut deposuit reliquum to-  
 tum Ecclesiæ corpus. Licet ergo tam Pa- Labbe l. 6.  
 pa, quam Ecclesia claves habeant ligandi, at- p. 673.  
 que solvendi, Papa tamen nunquam in totam  
 Ecclesiam claves has exercuit; Ecclesia au-  
 tem sæpenumero in Papam. Tandem aucto- Matth. 18.  
 ritas idem probat. Nam hoc, quod dixit  
 Christus, si peccaverit in te frater tuus, dic  
 Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit  
 tibi, sicut Ethnicus & Publicanus, omnes  
 homines comprehendit tam Petrum, quam  
 ejus Successores, & quod Petrus, Et ejus  
 Successores illa auctoritate comprehendantur, Galat. c. 2.  
 ostendit Paulus, qui in faciem restitit Cephæ  
 coram omnibus, quia, inquit, reprehensibi-  
 lis erat (\*). Quid autem aliud erat, san-  
 cto Petro coram omnibus resistere, quam  
 ejusdem errorem universæ Ecclesiæ ma-  
 nifestare? Quoad Successores, jam dictum est,  
 qualiter sæpe peccata eorum dicta fuerint Ec-  
 C 4 clesiæ,

(\* Hæc verba itidem non habentur in Epi-  
 stola Synodali, sed loco illorum sequentia: Ec-  
 clesiæ enim dixisse videtur, qui coram omnibus  
 dixit.



Sæcul. XV.  
A. C. 1432.

*clesiæ, & ab Ecclesia punita, & qui non audierunt Ecclesiam, habiti ut Ethnici & publicani, ut legitur de Anastasio, & Liberio, qui ab universa Ecclesia Romana, velut Pontifices habiti in errorem prolapsi sunt (\*). Probat hoc etiam auctoritas Concilii Constantiensis, definientis, quod peccata Pontificum circa fidem, vel schisma, vel mores, possunt dici Ecclesiæ, cujus præceptis tenentur obedire: & si obedire contempserint, condignæ pœnitentiæ possunt subjici, & ad alia juris remedia recurri, & per consequens possunt excommunicari, quo facto ut ethnici & publicani habebuntur.*

Subjungit Epistola: conqueritur *Pa-*  
*Labbe loc. c.* *pa, quod Bohemos vocavimus, eo modo quo Sanctitas sua sustinere sine offensa aut detractionis, aut damnationis in Concilio Constantiensi factæ non potuisset. Respondetur: Nunquid in Decretis Concilii Constantiensis scriptum invenitis, quod Ecclesia non debeat eos ad instruendum, & informandum convocare? Non miramur, prosequuntur Basileenses, si ex dictis Oratoris nostri occasio sumpta est ad dissipandum Concilium, quandoquidem ex piissimis nostris literis id factum esse videamus. Utinam propter honorem summi Pontificis hanc causam in literis suis non inseruisset, videlicet, quod hujusmodi vocatio fuerit in injuriam Sedis Apostolicæ, sacrorum-*

(\*) Hæc verba itidem in epistola desiderantur,

crorumque Conciliorum, & contra Decreta Sæcul. XV.  
 S. Patrum ac statuta legum Ecclesiæ (\*). A.C. 1432.  
 Si audientia concessa Bohemis reprobatur,  
 cur Græcis conceditur, cum & hi, & illi ab  
 unitate Ecclesiæ separentur? Si Concilium  
 Bononiæ propter illos indicitur, cur Conci-  
 lium Basileense propter Bohemos indictum  
 dissolvitur? cum Bohemica hæresis periculo-  
 sior sit, ideo ad illam accuratius foret inten-  
 dendum.

In eadem epistola postmodum osten-  
 dunt, non minus necessarium esse Bohe-  
 mos ad alloquium admittere, quam pe-  
 riculosum id eis denegare, illosque eo  
 duntaxat sine vocatos, ut instruantur, &  
 si fieri poterit, reconcilientur; hocque  
 sæpenumero actum fuisse a sanctis Patri-  
 bus, atque Doctoribus Ecclesiæ, & qui-  
 dem in omni sæculo. Tandem epistolam  
 suam absolvunt hisce verbis: *Propterea*  
*necessarium esse arbitramur tam saluti animæ*  
*sux, quam utilitati Ecclesiæ, ut sanctitas*  
*sua dissolutionem prætersam tollat, simpliciter-*  
*que recognoscat Concilium, & illi tota mente*  
*adhæreat.* Data est hæc epistola Basileæ  
 die tertia Septembris in quadam Congre-  
 gatione Generali (\*\*). Prælati, qui no-  
 mine

(\*) In textu habetur: *Legum imperialium.*

(\*\*) Haud dissimulare possumus, Continua-  
 torem nostrum multoties minus fideliter hanc

Sæcul. XV.  
A.C. 1432.

mine Concilii ad Papam, atque ad Cardinales missi sunt, erant Episcopus Lausanensis, & Trajectensis Decanus, quibus injunctum, ut a Papa Eugenio Decreti sui revocationem enixe peterent; demandatam sibi provinciam hi delegati integra fide expleverunt, & ipse quoque Imperator suas addidit preces; Attamen necdum Eugenii animum vincere poterant. Quapropter Deputati sinistrum commissi muneris successum haud æquo animo ferentes, reversi sunt; Patres ve-

Epistolam Gallico idiomate expressisse, ac precipue ea duntaxat excerptisse, quæ Summi Pontificis auctoritati contraria, atque injuriosa sunt, studiose vero subticuisse, quæ quomodo docunque illi favere crediderat: Cur enim non æque Historiæ suæ inseruit ex eadem hac Epistola Synodali verba sequentia: *Quod (Pontifex) caput sit, & primus Ecclesiæ, Vicarius Christi, & a Christo, non ab hominibus, vel Synodis aliis Prælati, & Pastor Christianorum, & ei datæ sunt a Domino claves, & uni dictum est: Tu es Petrus, & solus in plenitudinem potestatis vocatus sit, alii in partem sollicitudinis . . .* *Ista plane fatemur & credimus, operamque in hoc sacro Concilio dare intendimus, ut omnes eandem sententiam credant.* Singula autem hæc verba ipse omisit duntaxat hæc referens *quamvis & Nos Papam Ecclesiæ caput esse fateamur &c. Vide S. XIV. fol. 36.*

ro intelligentes, quod Papa constanter suum decretum, ac Concilii dissolutionem urgeret, insuperhabito Eugenii decreto, Pontificiæ auctoritati suam opponere cæperunt.

## §. XV.

*Sessio tertia Concilii Basileensis.*

Hunc in finem die vigesima nona Aprilis Anno salutis quadringentesimo trigesimo secundo supra millesimum Patres Basileæ in Ecclesia Cathedrali tertiam Sessionem celebrant, ac sub primis ejusdem auspiciis pluribus commemorant, quam impense Synodus Papam & Cardinales rogasset, ut Basileam venirent, ac cum ceteris Synodi membris gravissima, quæ ibidem tractanda forent, discuterent negotia, ex adverso autem, quam pertinaciter isti ad Synodum accedere recusaverint, & Eugenius obfirmato animo, hoc Concilium dissolvere, omnino decreverit. Relatis hisce innovata fuere decreta Concilii Constantiensis de auctoritate Concilii generalis, quæ jam in præcedenti Sessione prælecta fuere. Postea vero aliud condiderunt Decretum, quo *S. Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata generale Concilium faciens, exorat, requirit, obtestatur, & monet Eugenium Papam, quatenus prætensam dissolutionem*

*men*

Sæcul. XV.  
A. C. 1432.

Sæcul. XV.  
A. C. 1432.

nem de factō revocet, & ipsam revocationem, quemadmodum & dissolutionem fecit, per diversas mundi partes transmittat, & publicet, ab omnique impedimento dicti Concilii penitus desistat; quinimo eidem faveat & assistat, omniaque præbeat subsidia, & auxilia opportuna, necnon, si corporalis ipsius dispositio patiatur, personaliter infra trium mensium spatium veniat. Sin autem, personas loco & vice sua transmittat cum plenaria potestate. Alioquin, si hæc facere neglexerit, sancta Synodus necessitatibus Ecclesie (prout iustum fuerit, & Spiritus Sanctus dictaverit) providere curabit, & procedet, secundum quod juris fuerit. Similiter Cardinales admonet & obtestatur, quatenus infra spatium trium mensium ad dictum Concilium veniant, canonico impedimento cessante. In præmissis autem Cardinalem sancte Crucis, quamdiu tractatibus pacis regnorum Francie & Anglie insistet, includere non intendit. Quoad Cardinales autem Placentinum de Fuxo, & Cardinalem S. Eustachii, cum in propinquioribus locis existant, ad duorum mensium spatium restringit terminum. Mandat insuper universis Prælati, quatenus prædicta omnia sanctissimo Domino Papæ insinuent, si tutus & commodus pateat accessus, sin vero, affigi curant. Item decernit Synodus, huiusmodi decretum, postquam lectum fuerit, & publicatum, Ecclesie cathedralis Basileensis valvis affixum.

*affixum, censeatur quoad omnes effectus sa-* Sæcul. XV.  
A.C. 1432.  
*Et insinuatio.* Ejusmodi citationes contra Eugenium factæ annum integrum tenuere, non absque ingenti Ecclesiæ scandalo. Porro præter Notarios jam in prima Sessione designatos visum est Synodi Patribus alios adhuc duos in præsentem denominare, nempe Bartholomæum de Lutignia patria Senensem, & Thomam Chesnelotum Juris Baccalaureum, Rhenensis Diocesis Canonicum. His ita dispositis absoluta est Sessio; in alia vero Congregatione die nona Maji habita Patres, intellectis iis, quæ in conventu Bituricensi pro firmitate Synodi gesta fuere, Franciæ Prælati gratias, quas necdum exsolverant, egerunt, simulque datis ad Regem Carolum VII. literis eidem fervorem, ac studium erga Synodum gratulati sunt.

## §. XVI.

*Epistola Synodi ad Galliarum Regem.*

In hac igitur Epistola Synodi Patres rogarunt Regem, ut *quemadmodum inter Reges Christianos, Antecessores sui semper primi fuerunt ad auxilium fidei & Ecclesiæ, propter quod Christianissimi vocari meruerunt, ita Majorum suorum imitando vestigia, omnem operam dare dignaretur, ut prædi-*

Labbe Conc.  
to. 12. p. 328.

**Sæcul. XV.** *prædicta deliberatio* (suorum Prælatorum  
**A.C. 1432.** *tam laudabilis per rei executionem munus*  
*illucescat,* atque Galliæ Episcopos, suos  
 que Legatos mittat, ut horum præsentis  
 Synodus numerosior facta, securius com-  
 muni Christianæ Religionis bono pro-  
 videre valeat. Hinc Synodi Patres pri-  
 miter adhortati sunt Ecclesiæ Gallicanæ  
 Prælatos, ut Basileam accedere festina-  
 rent. Eadem perscripserunt ad Trimo-  
 lium, qui tum apud Regem auctoritate  
 & gratia nulli secundus erat, necnon ad  
 Reginaldum Rhemensem Archiepisco-  
 pum Franciæ Cancellarium, & ad Archie-  
 piscopum Lugdunensem, qui eo tempo-  
 re Nuncii Apostolici munus obibat. Hinc  
 Synodus rogabat, ut dimissa legatione  
 sua, utpote fructu vacua, Basileam quam-  
 primum adiret; ejus quippe exemplo  
 mox alios certatim accursuros. Verum-  
 tamen Archiepiscopum, cum operam  
 suam magis regno, quam Synodi rebus  
 necessariam esse judicasset, Gallias non  
 reliquisset, constat ex quadam ejusdem E-  
 pistola ad Lausanensem data.

## §. XVII.

*Bohemorum consultatio de Oratoribus  
 ad Synodum mittendis.*

*Vid. supr.*  
*lib. CV. § 89.*  
*§ 90.* Bohemi hærebant dubii, utrum literis,  
 quibus non solum a Synodo, sed etiam

tiam ab Imperatore ad Synodum venire, Sæcul. XV.  
 legatosque suos Basileam mittere roga- A. C. 1432.  
 bantur, morem gererent. Quapropter Æn. Sylv.  
 Egram conveniunt, hac super re delibe- Hist. Boh.  
 raturi. Primo quidem maxima inter c. 49.  
 eos erat animorum dissensio. Orphani  
 enim, & Taboritæ, imo plebs ferme tota,  
 nec Basileam eundum, nec eo quosdam  
 Oratores esse mittendos censebant, ac  
 Joannis Hussi, necnon Hieronymi Pra-  
 genfis exemplum in medium profere-  
 bant, conquesti, ambos sub fide Sigis-  
 mundi Constantiam ad Synodum profe-  
 ctos, ad rogam tamen tempore Concilii  
 Constantiensis damnatos fuisse. Attamen  
 Mainardus Princeps Novædomus \* tota \* Neuhaus  
 que Nobilium corona alterius longe e-  
 rant opinionis, proponentes: *Nullatenus*  
*tolerandos videri, qui novas peregrinasque*  
*de fide sententias, novumque ritum Religio-*  
*nis invenissent, nisi dictorum, factorumque*  
*rationem universali Ecclesiæ redderent, &*  
*quæ vulgo inculcaverant, coram doctis de-*  
*fenderent.* Prævaluit horum sententia, &  
 communi omnium consensu decisum, ad  
 Synodum mittendos esse Legatos. Inter  
 eos, qui nomine Nobilitatis decerneban-  
 tur, præcipui erant Guilielmus Coska, &  
 famosus ille Procopius: nomine autem  
 Cleri mittebantur Joannes de Rochiza-  
 na & alii duo, qui tamen nonnisi obten-  
 tis



Sæcul. XV. tis prius amplissimis securitatis literis  
A. C. 1432. iter aggressi sunt.

## §. XVIII.

*Sessio quarta Concilii Basileensis.*

Igitur ad Bohemos mittuntur literæ, pu-  
blicæ fidei testes, quæ in Sessione se-  
quenti, ordine quarta, ac feria sexta die  
vigesima Junii eodem anno celebrata,  
jamjam debita forma conceptæ erant.

## §. XIX.

*Securitatis sponso Bohemis data.*

*Lab. Conc.*  
*tom. 12. p.*  
*482.*

Hæ literæ erant velut publica decla-  
ratio, qua Patres omnibus & singu-  
lis de regno Bohemiæ, de Marchionatu  
Moraviæ, de Praga, & aliis locis, cur-  
tisque Sacerdotibus, Baronibus, No-  
bilibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcu-  
laribus, ad Synodum generalem Basi-  
leam mittendis significabant, quod ad  
dictum Concilium, quotquot volue-  
rint, non tamen supra numerum du-  
centarum Personarum, venire possint;  
eisque Synodus per præsentem saluum  
conductum verissimam securitatem  
spondebat, simulque ibidem morandi,  
de negotiis sibi commissis tractandi,  
concludendi, & terminandi plenissi-  
mam impertiebatur libertatem. Præ-  
terea

„ terea eisdem permittit, ut in loco ho- Sæcul. XV.  
 „ spitiorum suorum divina officia sine A. C. 1432.  
 „ ullo impedimento peragere, & quoties  
 „ illis videbitur, ad auram capiendam,  
 „ vel ob alias causas urbe exire possent.  
 „ Denique, si quis ex illis aliquod enor-  
 „ me crimen perpetraturus esset, con-  
 „ cessit Synodus, ut talis ab ipsis dunta-  
 „ xat, & non ab aliis condigna animad-  
 „ versione puniatur. „ Ultimo addide-  
 „ runt Patres: *Qui quidem salvus conductus*  
*durare debet a tempore, quo in nostræ tui-*  
*tionis curam eos suscipi contigerit, & usque ad*  
*Basileam perducitur, ac toto tempore mansio-*  
*nis eorum ibidem, & post sufficientem au-*  
*diendam habitam spatium viginti dierum præ-*  
*missis, cum ipsi petierint, aut Concilium ipsis*  
*recessum indixerit, in locum, quem maluerint,*  
*resituemus.*

## §. XX.

*Epistola Patrum Synodi ad Bohemos.*

In eadem Sessione jussu Concilii lecta est *Id. p. 485.*  
 Epistola ad Bohemos scripta, in qua il-  
 lis gratulatur, quod Deputatos suos ad  
 Synodum mittere, in urbe Egrensi de-  
 creverint, indeque magnam spem futuræ  
 unionis præbuerint. *Laudamus, inquit*  
*Patres, & benedicimus Deum, qui tam læ-*  
*tam nobis præbuit diem, quæ nullam adhuc*  
*sensimus lætorem; Parari enim semitam*  
*Hist. Eccl. Tom. XXVII. D vide-*

Sæcul. XV. videmus ad magnam Dei gloriam, & gran-  
 dem populi Christiani profectum. Nemo  
 nostrum fuit, dum ipsi Oratores singuli  
 vobiscum acta recensebant, qui vel oculis  
 vel corde non fleret. Commovebantur in  
 usitato gaudio viscera audientium rem tam  
 concorditer fuisse conclusam, sperantium  
 que post hanc illam multo lætiores dies  
 adhuc successuram. Levemus ergo manus  
 nostras ad cælum, glorificantes Dominum  
 nostrum IESUM Christum, quia pacem  
 quam quotidie diebus nostris Ecclesie de-  
 petitimus, jam appropinquare videmus . . .  
 Jam prope est forte dies, quo alter alte-  
 rum fraterna charitate nos invicem com-  
 plectemur, & unanimes in eadem S. Matris  
 Ecclesie domo cum jucunditate perpetuo  
 habitabimus. Hora est jam, ut S. Mater  
 Ecclesia, quæ pro tam duro filiorum suorum  
 dissidio diu contristata est, pro pace & uni-  
 tate lætari & exultare incipiat, luctumque  
 præteriti temporis convertat in gaudium.  
 Tempus jam advenit, ut qui eodem Chri-  
 sti charactere insigniti sunt, & eodem ba-  
 ptismatis fonte renati, deposita omni dis-  
 sensione, eundem charitatis & unitatis Spi-  
 ritum induant, & ad augmentum, gloriam-  
 que nominis sui Christiani totis viribus  
 intendant, fidemque orthodoxam protegere  
 curent, quam infideles Pagani multis in lo-  
 cis signominiose pessumdant, & extinguere  
 moliantur. Hanc epistolam Synodus u-  
 nacum

nacum publicæ fidei literis a se confectis Sæcul. XV.  
 ad Bohemos transmisit, utque huic Na- A.C.1432.  
 tioni adhuc magis innotesceret impigra  
 Patrum sollicitudo, qua pro illius securi-  
 tate nihil omnino intentatum relinque-  
 rent, Joannem de Mulbruno, qui præter  
 alios in Bohemiam missus Egrensi con-  
 ventui interfuit, ad Sigismundum able-  
 gant, ut ab eo alias adhuc liberi com-  
 meatus literas in sua ad Bohemos epi-  
 stola Regia manu firmatas peteret; *Quas,*  
*inquit Synodus, ut primum habuerimus, ad*  
*vos sine mora transmittemus, ut nihil ex*  
*parte nostra desit, quod pro vestra tutela, &*  
*libera audientia necessarium videbitur.* Sub  
 idem tempus Pontifex periculosa admo-  
 dum decumbebat infirmitate; hinc Sy-  
 nodus in eadem Sessione decrevit, si Labbe Conc.  
 dem Apostolicam vacare contingeret, to. 12. p. 487.  
 summi Pontificis electio in eodem sacri & 488.  
 hujus Concilii loco, & non alibi a Cardi-  
 nalibus fieret. Postea quatuor promul-  
 gavit decreta; atque in primo statuebant  
 Patres, quod Papa durante Concilio nul-  
 lum Cardinalem creare posset, eoquod  
 frequentior Purpuratorum numerus Ec-  
 clesiæ prægravis accideret, & si secus at-  
 tentatum fuisset, ejusmodi promotio ir-  
 rita esset, atque inanis. Cum vero fieri  
 posset, ut Eugenius Papa, insuperhabita  
 Concilii prohibitione, Cardinales crea-  
 ret, ideo statuit Synodus, quod si quos-  
 dam

Sæcul. XV.  
A. C. 1432.

dam Cardinalium collegio adscripturus esset, recens assumptos publicare non videret. Synodus enim abufui, qui præconcepto reformationis negotio plurimum obstaret, obviare intenta, verebatur, ne plurimi Cardinalitiam dignitatem ambitiose (\*) expetentes, hoc sub obtentu a Synodo deficerent, ac Curiaë Romanæ adhærerent, id autem Concilii Patres sedulo impedire conabantur. Altero decreto statutum, *ne quis propter juramenta, promissiones, vel quaslibet alias obligationes summo Pontifici, seu alteri super quacunque re præstita seu præstanda impediret a veniendo ad hoc sacrosanctum Concilium occasione dictorum juramentorum &c. prætenderet.* Processus vero quoscumque excommunicationis &c. aliasque multas in omnes propter prædicta fulminatas vel fulminandas eadem sacra Synodus nullas & irritas declarat. In tertio demum decreto sancitum, ut in literis, actisque Synodalibus sigillum adhiberetur plumbeum, quod ex una parte Spiritum Sanctum in specie columbæ repræsentaret, aversa autem facie hæc verba sigillo insculpta exhibe-

(\*) Hæc Basileenses salubriter statuebant contra eos, qui Cardinalitiam dignitatem ambire possent, obliti eorum decretorum, quibus propriam adipiscendi Papatus cupiditatem re-  
frænare potuissent.

hiberet; *Sacrofancta Generalis Synodus* Sæcul. XV.  
A.C. 1432.  
*Basileensis.*

## §. XXI.

*Regimen Avenionensis urbis Cardinali  
S. Eustachii commissum.*

Postremo hujus Sessionis decreto Syno- Labbe Conc.  
to. 12. p. 489.  
dus Alphonsus Carillum natione Hispanum Cardinalem tit. S. Eustachii constituit Governatorem Avenionensis civitatis, & Venaisini Comitatus Vicarium, eidemque adjecit plenam ac integram potestatem, eandemque facultatem, quam Franciscus Narbonnensis Archiepiscopus, & S. R. E. Camerarius olim a Martino V. Papa obtinuit. Inde elucet, hunc Prælatum fuisse primum Vice-Legatum Avenionensem ab eo tempore, quo Pontifices cum tota sua curia a laudata urbe discesserant; nam Petrus Fuxensis Cardinalis, cui Eugenius Papa hanc Legationem concredidit, ab Avenionensibus non fuit admittus; unde bellum exarsit, & civitas expugnata.

## §. XXII.

*Sessio V. Basileensis Synodi.*

Die Sabbati nona Augusti in vigilia S. Id. p. 490. &  
Laurentii habita est Sessio quinta, in seq.  
qua Synodus considerans, utile imo &

D 3                      neces-

Secul. XV.  
A.C. 1432.

necessarium fore pro caussis, quæ fidem concernerent, de Viris valde idoneis sibi providere, eisque harum examen, antequam Patres Concilii definitivam sententiam ferrent, committere; hunc in finem tres nominavit Judices, nempe Franciscum Papiensem, & Conradum Ratisbonensem Episcopos, necnon Joannem Cisterciensium Abbatem; quibus tam in ipso Concilii loco, quam extra illum in caussis fidei citandi, audiendi, cognoscendi, decidendi, aliaque faciendi potestatem concessit, dummodo ad prædictas caussas pertinerent; Nihilominus ramen priusquam hi Judices officio suo fungerentur, Synodi Deputati ejusmodi caussas examinare, ac desuper præfatis iudicibus referre, totamque causam ad pleniorum rei discussionem remittere tenerentur; his vero iudicibus usque ad definitivam sententiam exclusive pronunciandi jus competeret, Synodo sibi definitive decidendi auctoritatem reservante; idque vel maxime necessarium erat, ut decisio vim legis obtineret. Præterea alii tres nominabantur Episcopi, quorum sollicitudo erat, ut omnes caussas ad Synodum devolutas audirent, exceptis iis, quæ vel fidem, vel nonnullos alios Synodi Ministros spectarent. Horum tamen omnium sive pro fide, sive pro aliis caussis Deputatorum potestas ad trimestre limitata

mitata erat. Tandem prohibuit Synodus, ne ullus, qui huic Concilio vel per se, vel per procuratorem junctus esset, ad Romanam Curiam, aut ad quemcunque alium judicem extra Concilii locum evocaretur, vel lite semel mota invitus traheretur. His ita statutis absoluta est Sessio.

Sæcul. XV.  
A.C. 1432.

§. XXIII.

*Oratores Eugenii Papæ in Congregatione auditi.*

Die vigesima tertia Mensis Augusti habita est Congregatio Generalis, in qua Eugenii Pontificis Legati non ita pridem Basileam delati audiebantur. Hi quatuor erant numero, scilicet Andreas de Constantinopoli Coloffensis Archiepiscopus, Joannes Tarentinus, Bertrandus Magalonensis Episcopus, cujus sedes postea Montispeffulanum translata fuit, & Antonius Sacri Palatii caussarum Auditor. Accessere omnes hanc Congregationem, ac primo quidem Andreas prolixo admodum fermone schismatis mala, pacisque stabilis emolumenta extulit, hortatusque, ut concordiam unacum Ecclesiæ Capite amplecterentur; hac enim via Græcos facilius reconciliari, Hussitas certius ad fidem revocari, moresque Clericorum felicius emendari posse ajebat. In a-



Sæcul. XV.  
A.C. 1432.

lia Congregatione die vigesima quinta e-  
jusdem Mensis habita Joannes Tarentinus  
de suprema, eaque necessaria Pontificis  
auctoritate differuit, exposuitque, Euge-  
nium justis ex causis ad dissolvendam Ba-  
sileensem Synodum motum fuisse, ac so-  
lius Pontificis esse de loco, & tempore  
celebrandi Concilii decernere, neque il-  
lum cuiquam mortalium in ejusmodi re-  
bus subditum esse; quibus subjunxit, a  
Papa quam ardentissime exoptari, ut Sy-  
nodus celebraretur, qua Græci ad Eccle-  
siæ unionem, Hussitæ vero ad Christi fi-  
dem reducerentur, morumque disciplina  
revocaretur; cum vero eundem, quo mi-  
nus Italiam desereret, non modo adversa  
ejus valetudo, sed alia etiam, eaque gra-  
vissima impedirent negotia, ideo ab illo  
offerri quemcunque alium locum Eccle-  
siæ dominio subjectum, ejusque electio-  
nem Concilii arbitrio relinqui; Papam  
vero polliceri, se confestim illuc profectu-  
rum, seque præprimis omnibus inhæsu-  
rum, quæcunque Synodus circa emen-  
dationem suæ Personæ, vel ceterorum  
Romanæ Curiaë membrorum, Præsu-  
lum, aut Officialium, si qui forte corre-  
ptione indigerent, decretura esset.

## §. XXIV.

Sæcul. XV.  
A.C. 1432.*Synodi Patrum responsio ad Papæ  
Legatos.*

Hæc Papæ Legati Oratio minus accepta erat Synodi Patribus; cum enim illi non minori studio Basileense Concilium prosequi percuperent, quam Eugenius illius dissolutionem aut translationem identidem urgeret, Legatis responderunt, eos, qui Synodum rite ac legitime congregatam evertere, ac dissolvere conarentur, Ecclesiam scindere, illam in certam ruinam conjicere, simulque, cum talia auderent, Spiritum Sanctum contristari, eumque e cordibus suis expellere, eo quod præcipuum rumperent vinculum, nimirum charitatem, quæ sola Spiritum Sanctum conservare posset; Conciliorum generalium, cum universam repræsentent Ecclesiam, supremam esse in cuncta ejus membra auctoritatem, utpote ab ipso Christo Domino, nullo mediante, constitutam, cui & ipsi Pontifices obedire tenerentur in his, quæ ad fidem, schismatis everisionem, morumque correctionem spectarent, ac propterea Basileensem Synodum nil in Eugenium Papam peccasse, eundem in jus vocando; Caussas vero, ac prætextus dissolutionis ab eo allatos ex compluribus titulis nullos esse, quini-

Lab. Conc.  
to. 12. p. 673.

Sæcul XV. mo prorsus contrarios fini, ob quem Syn-  
 A.C. 1432. nodus convocata, atque congregata fuis-  
 set, ideoque Synodi Patres sine noxa po-  
 ftulatis Papæ cedere, aut dissolutioni Con-  
 cilio acquiescere haud valuisse. Hæc e-  
 pistola data est tertia die Septembris.

## §. XXV.

*Sessio sexta Basileensis Concilii.*

*Id. p. 493.* Sequenti die Sabbati, sexta Septembris,  
 habita est Sessio sexta. Missam de  
 B. Virgine Philibertus Constantiæ in Nor-  
 mannia Episcopus solemniter decanta-  
 vit, assistentibus Cardinale Juliano Præ-  
 fide, aliisque duobus Cardinalibus, scilicet  
 Firmano, & Placentino; Aderant  
 quoque Guilielmus Bavaricæ Dux Conci-  
 lii Protector, & triginta duo alii Prælati  
 habitu Pontificio induti. Cum igitur  
 Eugenius Papa nec Bullam de Synodi  
 dissolutione revocasset, nec per se, nec per  
 procuratorem intra terminum sibi in ter-  
 tia Sessione præstitutum comparuisset,  
 Promotores Concilii eundem velut con-  
 tumacem declarari postularunt, quod i-  
 psis quoque concessum est, ea tamen le-  
 ge, ut adhucdum trina vice ad valvas  
 Ecclesiæ vocaretur. Comparent ergo  
 Oratores Eugenii, Colossensis, & Taren-  
 tinus, Archiepiscopi, Magalonensis Epis-  
 copus, & Auditor, petentes, ut ad evi-  
 tanda

tanda scandala suspendantur iudicii acta Sæcul. XV. A.C. 1432.  
adversus Papam, & Cardinales instructa.

Patres ad Legatorum preces duobus Episcopis dant negotium, ut absentiae causas, quas Cardinales allegassent, examinarent. Denique mittitur Gerardus Laudensis Episcopus ad Angliæ Regem, qui eundem de legitima Concilii convocatione edoceret, simulque hortaretur, ut Prælatos suos ad illud mitteret, pacemque cum Gallis iniret, ut eo securius postmodum sublato omni impedimento Ecclesiæ bonum promoveri possiet.

Die vigesima quarta Octobris, quæ erat feria sexta, habita est Congregatio generalis, in qua plurimi articuli circa emendationem morum in Capite & Ecclesiæ membris ex Synodi sententia proponebantur; cum vero Patres in tam salutari negotio parum concordessent, cuncti eorum conatus in irritum ceciderunt, eo quod Eugenium deprimendi aviditas longe magis illorum occupasset animos.

## §. XXVI.

*Sessio VII. Basileensis Synodi.*

Nihilominus feria quinta, die sexta Novembris septimam celebrarunt sessionem, in qua sacro de Spiritu Sancto per Novarrensem Episcopum peracto, aliisque

*Tabbe Conc.  
to. 12. p. 496.*

Sæcul. XV. A.C. 1432. liisque solemnibus de more absolutis, rursus promulgabatur quartæ Sessionis decretum, quo sancitum, si durante Concilio sacram Sedem vacare contingeret, absque Synodi consensu ad novi Pontificis electionem procedi non posset, electionis tamen terminus ad sexaginta dies a tempore, quo Sedem Apostolicam vacare innotuerit, computandos prorogaretur, eo fine, ut absentes quoque Cardinales commode ad locum Synodi accedere, ibidemque conclave ingredi valerent. Alio decreto Synodus sancivit, ut omnes, quibus de beneficiis Cardinalium rebellium jus disponendi competit, libere per viam collationis, præsentationis, electionis, seu cujuslibet alterius provisionis, etiamsi essent Ecclesiæ Metropolitanæ, Cathedralis, aut alia quæcunque beneficia, quæ in titulum vel commendam a prædictis Cardinalibus possidentur, disponere valerent, ac omnia ista beneficia ad suos ordinarios Collatores revoluta censerentur, reservationibus Apostolicis minime obsistentibus, ablata etiam Pontifici de beneficiis eorum, qui Synodo interfunt, disponendi facultate.

## §. XXVII.

*Sessio octava Basileensis Synodi.*

*Id. ib. p. 497.  
Es seqq.*

Die Jovis decima octava Decembris  
habi-

habita est Sessio octava; in ea Patres <sup>saecul. XV.</sup> ante omnia exponunt, quod Synodus, <sup>A.C. 1432.</sup> licet secundum ordinem juris, & attenta magna Eugenii Papæ, ac Cardinalium absentium contumacia, procedendum fuisset ad declarandum ipsos esse contumaces, & alia juris remedia opportuna; volens tamen agere cum omni mansuetudine & lenitate, & si forte resipiscerent, expectare: maxime attendens quod Romanorum Rex jugiter apud eundem Eugenium & Cardinales instabat ambasiatis, literis, & tractatibus, usque in præsens supersedit ab ulterius procedendo. Cumque jamjam lapsi sint tres menses, tamen adhuc sexaginta dies Papæ Eugenio concedit, ut cætera (in III. & VI. Sessione) contenta adimpleat cum effectu, & dissolutionem Synodi absque mora revocet. Alioquin absque ulteriori monitione seu citatione Synodus contra ipsum procedet: adjiciens, quod, si Eugenius, dicto termino sexaginta dierum pendente, aliquas promotiones seu collationes Beneficiorum fecerit, Synodus eas casset, irritet, & annullet. Mandat præterea omnibus Prælatiis, & Officiariis, ut post lapsum dicti termini infra viginti dies a Curia Romana recedant sub pœna privationis omnium suorum beneficiorum.

Sæcul. XV.  
A. C. 1432.

## §. XXVIII.

*Decretum de unica nonnisi Synodo habenda.*

*Idem ibid.*  
*p. 498.*

Postmodum adhuc aliud Decretum con-  
dunt, in quo Patres declarant, quod sic  
unica est Ecclesia sancta, & Catholica, Christi  
ejus Sponso dicente: Cant. 6. UNA EST  
COLUMBA MEA PERFECTA MEA, & fide  
articulo hoc profitente, cum unitas divisio-  
nem non capiat, sic esse non potest, nisi uni-  
cum generale Concilium, ipsam sanctam Ec-  
clesiam Catholicam repræsentans. Cum ergo  
in hac civitate Basileensi decretis sacrorum  
Conciliorum Constantiensis & Senensis, &  
duorum Romanorum approbatione Pontifi-  
cum, Martini V, & Eugenii IV. generale  
Concilium institutum, & stabilitum sit, con-  
stat aliud generale Concilium, isto durante,  
alibi esse non posse. Quicumque ergo aliam  
Congregationem sub nomine generalis Con-  
cilii erigere præsumpserit schismaticorum con-  
venticulum facere convincitur. Idcirco San-  
cta Synodus omnes Christi fideles, cujuscunque  
status, aut dignitatis, etiamsi Papalis, Imper-  
ialis, vel Regalis existant, in virtute sanctæ  
obedientiæ, & sub pænis contra schismaticos  
a jure indictis, districtè præcipit, ut talem  
congregationem impediant, hoc sacro Basile-  
ensi durante Concilio. Si quis autem Bo-  
noniam, vel ad aliquem locum sub nomine Ge-  
neralis Concilii præsumat accedere, senten-  
tiam

tiam excommunicationis, & privationis suorum beneficiorum incurrat ipso facto. Synodus in alio decreto declarat, quod quicumque attentaverit a Romano Pontifice impetrare, aut etiam acceptare aliquod beneficium alicujus ex adherentibus huic Concilio, sit omnibus beneficiis privatus, & ad obtinendum in futurum inhabilis. Tandem tertio decreto prohibetur Eugenius Papa, ne terras, & castra Romanæ Ecclesiæ alienaret, prout tamen de illis distrahendis varios tractatus habuisse dicebatur; cautum denique, ne nova tributa Romanæ Ecclesiæ ditionibus, vel aliis imponeret, si fecus faceret, ea irrita prorsus ac nulla declarantur.

## §. XXIX.

*Imperatoris edictum de tuenda Synodo.*

Ut ejusmodi decreta Synodi Patres tanta fiducia conderent, inde ortum traxit, quod comperissent, Sigismundum Senis existentem die vigesima secunda Novembris diploma promulgasse, quo subditis suis omnibus testatum fecerat, se ab initio favisse Basileensi Concilio, & impotenter se eidem pro viribus patrocinaturum, nec unquam permissurum, ut illius auctoritas, atque libertas quovis pacto labefactaretur, Accesserat Senas idem Impera-

Sæcul. XV.  
A. C. 1432.Labbe Conc.  
tom. 12. p.

499.

Pag. 500.

Labbe Conc.  
to. 12. p 464.  
append. I.



Sæcul. XV. perator, civium precibus stimulatus, qui  
 A. C. 1432. illius auxilium, præsidiumque adversus  
 Florentinos eorum hostes implorabant.  
 Hi quoque omni virium contentione Sigismundum impedire conabantur, ne Romanam ibidem coronam recepturus contenderet; nihilominus illis Pontifex semper benevolum sese exhibuit, donec anno posteriore concordia inita esset.

## §. XXX.

*De Neapolitani Regni fati.*

Temporis, rerumque vicissitudines in Neapolis Regno subortæ infauftum præfagiebant exitum Joanni Carraciolo, supremo Neapolis Senescallo, qui ambitioni suæ modum ponere nescius, perinde ac itidem Rex esset, summum imperium sibi arrogabat. Hic itaque, cum Salernitanum Principatum sibi a Regina denegatum ægerrime ferret, per summam audaciam in verba injuriosa, crebrasque contumelias adversus eam prorupit: sed haud impune; quippe illi, quos sibi alias infensos habebat, hac ejus licentia speciosius suam conspirationem tegere studebant, eundemque altera die post celebratas Filii sui nuptias septima decima Aprilis ejusdem anni misere trucidabant. Communior fama ferebat, hanc cædem potissimum conspiratione Cobellæ Rufæ,

*Summon.*  
 l. 4. c. 3.

*Marian.*  
 l. 21. c. 5.

conjugis Antonii Mariani Sueffæ Ducis patratam fuisse; Hæc enim apud Regi-  
nam, utpote propinquam suam, maxima pollebat auctoritate, eamque consiliis suis obsequentem habebat; quapropter Caraciolum, quem solum Regiæ gratiæ corrivalem timere poterat, implacabili persequabatur invidia. Hinc injuriam, quam ille Reginæ intulerat, in rem suam vertens, inconstantem hujus Reginæ animum dextre adversus illum accendit. Postquam igitur Regina Caraciolum furenti Ducissæ arbitrio reliquisset, illa Reginam derepente apoplexia tactam simulans, eundem vocari jussit, qui rupta omni mora e lecto prorumpens, ad Palatium advolat; verum vix e lecto suo egressus, a conjuratis confoditur. Haud inficiabatur Regina, se homicidii consciam fuisse; quapropter Sicariis facile veniam tribuit, Caraccioli autem bona fisco addixit, infamiæ etiam nota ejus nomini aspersa. Post hæc facta Ludovicus Andegavensis a Regina ante adoptatus, Neapolim reverti, toto studio contendebat; prius enim Caraccioli invidia in Calabriam sub obtentu bellum ibidem gerendi ablegatus fuerat. Ast obstitit Sueffensis Ducissa, quæ ut Reginæ gratiam sibi soli certam redderet, omnem supremi, quod in ejus animum exercebat, imperii æmulum excludere conabatur; accessit etiam, quod Ducissa magis

æcul. XV.  
A. C. 1432.

Or. J. meo

*Hist. Eccles. Tom. XXVII, E ta-*

Sæcul. XV.  
A. C. 1432.

faveret Alphonso Arragonum Regi, quem Caraciolus in Siciliam revocavit, spe facta, eum a Regina denuo adoptatum iri. Nec sua eum spes fefellit; quippe Regina adoptionem Andegavensi factam jusque in Neapolis Regno succedendi rescidit, & quam olim Alphonso Arragonia Regi asseruerat, adoptionem innovavit hacque super re publicas tabulas conficijussit, sigillo tamen suo clausas, ne Galis innotescerent.

§. XXXI.

*Res Poloniæ.*

*Crom. l. 10.*

Interea Bohemorum Legati in Poloniam ad Ladislaum Regem delati, auxiliis contra Equites Teutonicos in Prussia, qui Polonos assiduis vexationibus, ac bellicis insultibus premebant, pollicentur, nunciantque Regi, Basileensis Synodi Patres valde in eum propensos esse. Igitur Ladislaus hosce Legatos comiter ac magnifice habuit, pariterque Archiepiscopus Gnesnensis, aliique Prælati illos ad Sacrorum communionem admiserunt. Postquam autem Cracoviam pervenerant, mox jussu Sbignei urbis hujus Episcopi in tota civitate divinis interdictum est. Rex hoc facto tantopere in Episcopum exarscescebat, ut etiam comminaretur, eum pari, quam Petrus ejus Prædecessor expertus

pertus fuisset, forte plectendum. Cui Sæcul. XV.  
A. C. 1432.  
Episcopus ejusmodi minis nequaquam  
territus, virili constantia reposuit: „Cum  
„ de Religione agitur, nihil omnino refor-  
„ mido, sed pro illa omne tormentorum  
„ genus subire paratus sum; de cetero  
„ meminisset Rex, sanguinem Petri adeo  
„ injuste effusum adhucdum vindictam  
„ de cælo expetere, Deumque illius caus-  
„ sæ vindicem ac defensorem fore. „ De  
eodem Episcopo referunt Scriptores, quod  
quamvis monitus esset, quosdam a Rege  
subornatos fuisse, qui eum de medio tol-  
lerent, ille nihilominus ad evitandum hoc  
mortis periculum nulla cautela usus, eo-  
dem in lecto suo, nulla sibi adhibita custodia  
cubuisset, imo & intempesta nocte cum uno  
solo Sacerdote ad Cathedralem Eccle-  
siam suam perrexisset, neque adversi quic-  
quam perpeffus fuisset, sive quia Rex sa-  
crilegum mutaverat consilium, sive quia  
ejus minæ non nisi vanæ & inanes fue-  
rant. Eugenius tamen ejus zelum præ-  
miaturus, illum postea Cardinalitia digni-  
tate decoravit.

## §. XXXII.

*Carmelitarum Regulae mitigatio.*

Hoc eodem anno die decima quinta Fe- Bullar. to. I.  
Eugen. IV.  
Const. 3.  
bruarii Papa Bullam edidit, qua Car-  
melitis tribus in hebdomada diebus car-  
E 2 nibus

Sæcul. XV.  
A. C. 1432.  
nibus vesci, aliasque plures Regulæ mitigationes indulgit; unde a primævo instituti sui rigore non parum deflexerunt. Moderationem jamjam ab Innocentio IV. anno Domini millesimo ducentesimo quadragésimo quinto acceperunt, nimirum septimo ex post anno, postquam unacum S. Ludovico Galliarum Rege in Europam migrabant, sedemque in Francia figebant.

## §. XXXIII.

*Congregatio S. Justinæ.*

*Abid. Constit.*  
*5. 9. Et 10.*  
Idem Pontifex condita Bulla die vigesima tertia Novembris hujus anni approbavit, confirmavitque Congregationem S. Justinæ Patavii. Fuerat illa jam antea a Joanne XXIII. approbata, & Martino V. pluribus privilegiis ditata, quorum numerum Eugenius ampliavit, novisque favoribus ac gratiis auxit, editis hanc in rem duabus Constitutionibus, quarum prima trigesima die Junii Anno Salutis millesimo quadringentesimo trigesimo sexto, altera vero vigesima quarta Novembris ejusdem anni data fuit. Hæc Congregatio una erat ex illis, quæ in sacro Benedictinorum Ordine intra Italianam reformationem professa est, quam Ludovicus Barbus natione Venetus S. Georgii in Alga Canonicus Anno Christi millesimo quadringentesimo nono inchoaverat.  
Euge-

Eugenius vero, revocatis a suo Præde-  
cessore sancitis, adhuc magis consolida-  
vit, ac plura, quibus securiori ejusdem  
conservationi provideret, statuta præscri-  
psit, atque amplioribus privilegiis conde-  
coravit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1432.

## §. XXXIV.

*Censura propositionis de Episcoporum  
monitis.*

Sub idem tempus Ebroicensis Episcopus, *Dupin. Bibl.*  
ejusdemque Diocesis Inquisitor Fa-  
cultatem Theologicam Parisiis consulue-  
runt de quadam propositione, quam qui-  
dam docuit, asserens, Episcoporum mo-  
nita meros abusus esse. Igitur Facultas  
die decima sexta Maji doctrinali sua sen-  
tentia declaravit, hanc propositionem esse  
injuriosam, præsumptuosam, temerariam,  
scandalosam, ad seditiones ac rebelliones  
tendentem, censuras Ecclesiasticas infrin-  
gere molientem, doctrinæ Christi Domini,  
atque Apostolorum contrariam, necnon  
erroribus a Concilio Constantiensi damna-  
tis faventem.

## §. XXXV.

*Galliæ Status.*

Ferme in omnibus Franciæ Provinciis, *Joann.*  
quamvis successu admodum dissimili, *Chart. Hist.*  
E 3 bel- *Carol. VII.*

Sæcul. XV.

A. C. 1432.

bellum ardebat, cuius tamen vis septem vel octo annorum spacio valde remittebatur, eoquod utraque belligerantium pars tam ob virium impotentiam, quam ob pecuniarum inopiam haud ultra validos exercitus alere posset. Quibus accessit utriusque Regis imbecillitas; Anglus quippe pupillarem ætatem nondum egres- sus, tutelæ adhuc subjacebat, Gallus vero ex meretricum, atque adulatorum suorum arbitrio pendebat. Nihilominus Arundelius Comes, supremus Anglici exercitus Dux Sancelerinum, quam urbem trium mensium, & amplius obsidione prefferat, tandem occupavit, inde ad castrum Silacum-Guilielmum in Cenomanensi agro situm movens, illud cinxit, demumque ad deditionem coegit. Bellicis hisce expeditionibus prospero Marte confectis ad terras Cenomanenses atque Andegavenses persæpe prædatum excurrens, castra Mellacense, & S. Laurentii Mortariorum cepit, quibus præsidario milite munitis, in Normanniam reversus est.

*Sile le Guillaume.  
Mellai  
S. Laurent  
des Mortiers.*

## §. XXXVI.

*Arundelii Comitis obitus.*

Postquam autem Arundelius Comes intellexerat, quemdam Centurionem, patria Vasconem, nomine Hiram, aliumque dictum Pontonum Santraillium paulo post

lopost Gerberacum, pervetustam quamdam arcem quatuor leucas Bellovaco distantem occupasse, confestim illuc suas copias admovit. Hira & Santraillius in adventantem Comitem eruptionem tentant, acie congregantur, & quamvis Angli Gallorum numerum triplo excederent, hi tamen illos profligarunt, octingentis Anglorum desideratis; Ipse quoque Comes in captivitatem abstractus, paulopost multis vulneribus confossus, e vivis concessit; unde Anglorum vires haud parum accisæ fuerunt.

Sæcul. XV.  
A.C. 1432.

§. XXXVII.

*Sfortia Roma profugus.*

Eodem tempore Sfortia, qui hucusque Eugenio Papæ Romanæ Urbis possessionem asserturus ibidem substiterat, tandem Roma excedere, ac non modo armis, sed & Pauli Ursini insidiis subjacere cogebatur. Castra metabatur prope Aldegam, ubi eum Cardinalis S. Crucis ex Columnensium familia ortus nomine Pontificis convenerat, persuasurus, imo eundem compulsurus, ut Romam reverteretur. Quid inquiebat Cardinalis, Ergone magnus Sfortia *ursum* timet, qui tamen adeo firma suffultus est *columna*? (nempe alludebat ad Ursinorum familiam, & ad propriæ suæ Domus nomen)

E 4

Cui



Sæcul. XV. Cui Sfortia respondit: insanirem, si solo  
 A. C. 1433. & vano cujusdam marmoreæ statuæ præ-  
 sidio fretus, insolitæ magnitudinis be-  
 stiam provocarem, quæ me dentibus, suis-  
 que unguibus aggredi, citatisque passibus  
 insequi posset, hisce verbis significans,  
 quam infirmum, atque incertum esset Co-  
 lumnensium auxilium, quam vero poten-  
 tes Pauli Ursini vires. Historici ad præ-  
 sentem quoque annum revocant suppli-  
 cium Francisci Carmaniolæ, celeberrimi  
 hujus sæculi Belliducis, quem de con-  
 spiratione cum Mediolanensium Duce su-  
 spectum Veneti capite truncari jusserunt.

## §. XXXVIII.

*Bohemorum Deputati Basileæ.*

*Æm. Sylv.  
 Hist. Bohem.  
 c. 49.*

Die quarta Januarii Anno Domini mil-  
 lesimo quadringentesimo trigesimo  
 tertio Bohemorum Deputati Basileam ve-  
 niunt. Ingrediuntur urbem cum ingenti  
 pompa, ac trecentis Equitibus stipati. Un-  
 dique certatim confluit populus. Viros hos-  
 ce avidius contemplaturus; plerique ta-  
 men torvos eorum vultus aspicere dedi-  
 gnabantur, memores sævitiarum, quas  
 pro pertinaci hæresis defensione ab iis per-  
 petratas audiebant. In unum tamen  
 Procopium omnium defigebantur obtu-  
 tus, utpote quem illum esse noverant, si-  
 ne cujus auxilio Zischa nil ardui molieba-  
 tur,

tur; quippe post Zischæ obitum Ducis Sæcul. XV.  
 Austriaci superavit exercitum, ac bina vi- A. C. 1433.  
 ce sola sua præsentia totum Imperii robur  
 in fugam vertit. Hofce Deputatos Sy-  
 nodus solemnibus alias Regum ac Princi-  
 pum Legatis exhiberi solitis exceptit.

## §. XXXIX.

*Oratio Juliani Cardinalis ad Bohemos.*

Accersiti sunt hi Deputati ad Congrega-  
 tionem nona Januarii habitam die præ-  
 stituto, quo huic negotio initium daretur.  
 Julianus Cardinalis Synodi Præses eos  
 alloquebatur, prolixo sermone exaggerans  
 mala, quæ ex schismate orirentur, cum-  
 que' sacrarum literarum peritissimus esset,  
 ingenti textuum ex divino Codice de-  
 promptorum apparatu comprobatum fe-  
 cit, *Ecclesiam Christi Salvatoris Sponsam*  
*omnium fidelium Matrem esse, claves ligandi,*  
*atque solvendi habere, in his, quæ necessaria*  
*ad vitam æternam esse creduntur, errare non*  
*posse, qui eam contempserit, alienum, proph-*  
*anum, & quasi ethnicum publicanumque cen-*  
*sendum, eam nusquam melius, quam in gene-*  
*rali Concilio repræsentari, statuta Concilio-*  
*rum, Ecclesie placita existimari, quibus non*  
*minus, quam Evangelii credere oporteret,*  
*cumque Concilium Basileense legitimum esset,*  
*Bohemos, qui se filios Ecclesie dicerent, vo-*

*Labbe ap-  
 pendic. I.  
 Conc. Basil.  
 to. 12. p. 894.*

Sæcul. XV.

A. C. 1433

*cem Matris audire debere, extra quam non invenitur salus. Faceffere jam odia debent ponenda esse arma, audituros benigne Patrum quæcunque Bohemi pro sua causa dicere volint, tantum parati sint animo, nec bene consultæ Sanctæ Synodi consilia respuant. Tandem orationem suam claudebat patheticæ ad Bohemos adhortatione, qua eos, ut in sinum Ecclesiæ redire festinarent, animabat.*

## §. XL.

*Responsum Rochisanæ ad Cardinalem Juliani orationem.*

*Cochl. Hist.  
Hussit. l. 6.*

**R**ochisana ex Bohemiæ Deputatis hæc postremus, nomine suorum sociorum respondit: Gratias referimus Deo, quod nos consolari, ac miserationibus suis visitare dignatus sit, parem quoque gratitudinem exhibemus Juliano Cardinali, atque universæ Synodo, quod tam benignum erga nos, nostrosque affectum, tamque benevolam, ac liberalem exceptionem indulserit; hisque subjunxit, omnibus quidem persuasum est, ex schismate gravissimas calamitates, atque enormia oriri scelera, quæ ab iis, qui ejusmodi scissionibus vel occasionem præbent, vel illas fovent, perpetrari solent; in hoc tamen tota rei summa vertitur, ut illi, qui schismatis auctores sunt, in jus vocentur.

Tan-

Tantum enim abest, quod Bohemi Sacras Sæcul. XV.  
 paginas rejiciant, quin ex adverso quæ- A. C. 1433.  
 cunque docuerunt dogmata, iisdem com-  
 probare parati sint; semper enim Sancto-  
 rorum quoque Patrum auctoritatem ma-  
 gni habent, atque ad Synodum veniunt,  
 fidei suæ rationem reddituri, petuntque,  
 publicum eis concedi alloquium, cui non  
 modo Ecclesiastici, sed & Laici intersint;  
 de cetero rogamus, ut Patres nostros  
 Deputatos audire velint super quatuor il-  
 los articulos jam antehac ad Synodum  
 transmissos. Omnibus his annuit Con-  
 cilium, eisque pro publico colloquio de-  
 cimam sextam ejusdem mensis Janua-  
 rii diem assignavit.

## §. XLI.

*Quatuor Articuli a Bohemis Synodo  
oblati.*

Articuli ad Concilium transmissi erant Append. I.  
 hac inscriptione insigniti: *Articuli Conc. Basil.*  
*oblati Concilio ex parte Regni Bohemice, tom. 12. art.*  
*Marchionatus Moravice &c. Anno Domini 5. p. 801.*  
*MCCCCXXXIII in festo S. Tiburtii, post*  
*Laurentii, undecima Augusti.*

*Hos Articulos, inquit Bohemi, Pa-*  
*ternitatibus vestris offerimus, quatenus in-*  
*tuitu optandæ cunctis mortalibus pacis, &*  
*unitatis, velitis in hac forma subscripta ve-*  
*strum præbere consensum, ut libere teneantur,*

§

Sæcul. XV.  
A. C. 1433.

*Et doceantur, Et irrevocabiler observentur in Regno Bohemica, Et Marchionatu Moravia, ac locis ejus adhaerentibus in hac parte*  
 I. *Communio diviniſſimæ Eucharistiæ utilis Et salubris sub utraque specie, scilicet panis, Et vini universis Christi fidelibus per Sacerdotes libere ministretur.* II. *Omnia peccata mortalia, Et præsertim publica, per eos, quorum interest, rationabiliter, Et secundum Legem Dei cohibeantur, corripiantur, Et eliminentur.* III. *Verbum Dei a Sacerdotibus Domini, Et Levitis idoneis, libere ac fideliter prædicetur.* IV. *Non liceat Clero, tempore legis gratiæ, super bonis temporalibus sæculariter dominari.*

Propositis hisce articulis declararunt se in his solis quatuor capitibus a Catholicis dissentire, paratos autem se esse uniri Et esse unum modo, quo omnes Christiani fideles uniti secundum legem Dei obligantur obedire quibuscunque legitime præfatis, dummodo eis hosce articulos inter suos observare permittatur. Dein petunt, ut Concilium suis patentibus literis præcipiat omnibus Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Regibus, Principibus, Et universis sibi subditis, quatenus Et nos, Et nobis (inquiunt ipsi) in hac parte adhaerentes, Et adhaerere volentes, amplius palam vel occulte hæreticare, aut quovis modo infamare, aut hostiliter invadere non præsumant, propter aliquem dictorum articulorum, Et præsertim propter

propter primum, quem asserimus, & asserere. Sæcul. XV.  
 re proponimus cadere sub præcepto divino, A. C. 1433.  
 usque ad discussionem finalem, mutuat, &  
 concordem.

## §. XLII.

Quatuor hi articuli in Congregatione  
 examinati.

Ergo quatuor isti articuli in Congregatio-  
 ne die decima sexta Februarii cele-  
 brata ad examen vocantur. Eodem die  
 Rochisana primum articulum solido tri-  
 duo matutinis horis explanare cæpit.  
 Dein Wenceslaus Taborita secundum ar-  
 ticulum *de corrigendis & eliminandis pecca-*  
*tis publicis* in medium protulit per bidui  
 spatium. Post quem Udalricus Orpha-  
 norum Presbyter de tertio articulo, *circa*  
*liberam prædicationem Verbi Divini* duobus  
 itidem diebus differuit, Postremo Petrus  
 Payne Anglus quartum articulum, qui erat  
*de civili dominio Clericorum*, per integrum  
 triduum exposuit. Equidem horum Bo-  
 hemorum Oratorum discursus in actibus  
 descripti desiderantur, nihilominus tamen  
 Æneas Sylvius, qui tum præsens aderat,  
 ac convocationis Bohemorum clarissimam  
 nobis reliquit Synopsis, cuncta in eorum  
 utilitatem gesta, atque a Synodo decreta  
 enarrat. Porro Oratores suas disputatio-  
 nes in compendium contractas ad Conci-  
 lium

In Fascic ver.  
 expeten. de  
 vocat. Bo-  
 hem. per  
 orth. Grat.

Sæcul. XV. lium mittebant, necnon de colloquio ipsis  
 A. C. 1433. benigne adeo concessio Patribus grates  
 rependebant. His tamen Wenceslai,  
 Udalrici, ac Petri Deputatorum sermo-  
 nes haud immerito minus probabantur,  
 eoquod Wiclefi, & Joannis Hussi doctri-  
 nam intempestivis laudibus extollere, iis  
 que Doctorum Evangelicorum, quos ta-  
 men Ecclesia non ita pridem damnaverat,  
 titulum attribuere, pluraque alia, quæ Pa-  
 tribus admodum gravia acciderant, im-  
 miscere non dubitassent. Nihilominus  
 Synodus ardentibus votis pacem deside-  
 rans, eos interrumpere noluit.

## §. XLIII.

*Responsiones Patrum ad Bohemos.*

Conc. gene- **C**ausæ propositæ gravitas omnino ex-  
 ral. tom. 12. posebat, ut Bohemis responsum a  
 p. 1013. Synodi Patribus daretur; idcirco Jo-  
 nes Ragusinus Theologiæ Professor, Or-  
 dinis FF. Prædicatorum Procurator ge-  
 neralis clara voce in pleno confesso pos-  
 tulabat, suo nomine ad primum Bohe-  
 morum articulum respondendi facultatem  
 sibi indulgeri. Annuit Synodus, & ipse  
 octo omnino dies matutinis horis hanc  
 in rem differuit. Antequam vero respon-  
 sa dare inciperet, Joannes Cisterciensium  
 Abbas oratione sua Bohemos adhortaba-  
 tur, ut se submitterent decretis sanctæ  
 Matris

Matris Ecclesiæ, quam sacrum hoc Con-  
 cilium repræsentaret. Ea res non pa-  
 rum offendit Bohemos, longe magis ta-  
 men eorum animos exasperabat Joannis  
 Ragusini oratio, eoquod frequentius *Hæ-  
 resis*, & *Hæreticorum* vocabula responso  
 suo immiscuisset. Unde Procopius do-  
 lorem suum haud amplius tenens, indi-  
 gnabundus assurgebat, ac de hac ignomi-  
 nia apud Synodum publice conquereba-  
 tur, parumque aberat, quin eam ob rem  
 Deputati Basilea discederent; saltem æ-  
 gre admodum eorum animi leniri pote-  
 rant. Demum vero Ægidius Carlerius,  
 Ecclesiæ Cameracensis Decanus per qua-  
 tuor dies ad secundum articulum re-  
 spondit. Ad tertium vero Henricus  
 Kalteisen Coloniensis Ordinis Prædica-  
 torum, postea Nidrosiensis Archiepisco-  
 pus in Norvegia solidum triduum disse-  
 ruit; & Joannes de Polemar Barcino-  
 nensis Archidiaconus, Caussarum sacri  
 Palatii Auditor, tribus itidem diebus, ma-  
 tutinis tamen horis quartum explanavit  
 articulum.

Horum sermonum prolixitas ingenti  
 tædio afficiebat Bohemos; totum enim  
 negotium, ut refert Cochlæus, quinqua-  
 ginta omnino dies tenuit, nempe a deci-  
 ma sexta Januarii usque ad sextam Mar-  
 tii diem. Attamen Catholicorum respon-  
 sa haud poterant esse breviora, quam  
 Bohe-

Sæcul. XV.

A.C. 1433.

Ibid. 1159.

S 1249. S

1364.



Sæcul. XV. Bohemorum propositiones, quæ ad nostras manus non pervenerunt, nec de earum summa plus constat, quam ex quatuor illis Orationibus, quibus nostri Doctores ad objectas Deputatorum rationes respondebant, colligi potest. Ceterum quamvis Catholici solidissimis juxta & luculentissimis argumentis veritatem demonstrarent, nihilominus Bohemi suos articulos pertinaciter tuebantur, præcipuum primum, adeo ut Rochisana responsione Joannis Ragusini ad sextum usque diem impugnaret.

## §. XLIV.

*Bohemica Deputatorum sententia.*

Porro Patres optime erant gnari, disputationum æstu in dies crescente, pacem & concordiam, de qua reducenda prius spes proxima affulserat, identidem magis dissolvi; ideo Guilielmus Bavarie Dux, Synodi Protector, semotis altercationibus rem amice componendam proposuit. Igitur utrinque nominatis, qui de concordia tractarent, die undecima Martii conventus celebratur, in quo illis qui Synodi partes tuebantur, e re fore videbatur, si Bohemi diversis, in quas scindebantur, sectis penitus relictis, unum corpus essicerent, ita quippe sperari possent, quod inter se uniti facilius quo-

quoque eandem fidem, eandemque sententiam amplecterentur. Bohemi, cum aliquamdiu de hoc remedio deliberassent, inqueiebant, hæc via minus apta est pro consequenda unione, nisi saltem prius circa quatuor illos articulos nos vobiscum, ac vos nobiscum sentiatis. Alioquin nosmetipsos omnium ludibrio exponeremus, si jam uniti, rursus in articulo- rum decisione discreparemus. Ad hæc responsum est a nonnullis, si vere ac sincero animo juncti estis, facile circa reliqua unanimis sequetur sententia. Verum, inquit Æneas Sylvius, furdis fabula canebatur, quia tres illi Deputati, qui postremos tres articulos propugnabant, adversum responsiones datas pertinaciter disputabant.

sæcul. XV.  
A.C. 1433.

*Hist. Bohem.*  
c. 50.

§. XLV.

*Oratio Cardinalis Juliani ad Bohemos.*

Quapropter Cardinalis Julianus Concilii Præses orationem habuit ad Bohemos, in qua eosdem hunc in modum allocutus est: *Proposuistis proximis diebus quatuor articulos, sed audimus præter hos multa vos alia habere dogmata peregrina, in quibus a nobis Catholicis dissentitis. Magister enim Wenceslaus allegavit inter alia, Joannem Wiclesum Evangelicum Do-*

*Labbe Conc.*  
*to. 12. p. 894.*

*Hist. Eccles. Tom. XXVII. F. Florem,*

Sæcul. XV.  
A.C. 1433

Etorem, si illum creditis esse Evangelicum, inquit Cardinalis, consequens est, ut dicta ejus authentica reputetis: si vero non ita putatis, æquum esset, ut hoc nobis innotescat. De iis igitur rogamus vos, ut nos certificare velitis, quid credatis, & ad singulos articulos nobis respondeatis per verbum, credimus, aut non credimus, & confestim vobis respondebimus, parati enim sumus unicuique poscenti reddere rationem. Ad hæc Bohemorum Deputati responderunt, venisse se tantum, ut quatuor illos articulos proponerent, non tam suo, quam publico totius regni Bohemici nomine; nec pluribus se explicarunt. Quare Synodus intelligens, quod Bohemi cuncta pacis consilia rejicerent, atque omnino discedere cogitarent, illis etiam abeundi copiam esse concedendam statuit, adjecta tamen solemnitate Legatione, quæ Pragæ ad sacratissimæ Triadis festum, quo die septima Junii ejusdem anni Pragensis populus conventum ageret, & ipsa interveniret.

## §. XLVI.

Deputati Synodales Pragæ profecti.

Itaque Legati isti die decima quarta Aprilis Basilea abeunt. Erant vero numero decem, nimirum, Philibertus Constantiæ in Normannia Episcopus; Petrus

trus Augustensis Antistes; Joannes Polemarus Barcinonensis Archidiaconus; Fridericus Parspergerus Præpositus Ratisbonensis; Ægidius Carlerius Camera-censis Decanus; Alexander Sparur, Jurisconsultus natione Anglus, Thomas Haselbachius, Theologus Viennensis; Henricus Tocsis Magdeburgensis Canonicus; Martinus Bernerius Decanus Turonensis, & Joannes Gelhusius Mulbrunensis Monachus. Hi omnes summo honore ubique excipiebantur tum in itinere, tum ab ipsis Bohemis æque ac Catholicis, præcipue vero a Pragensibus, quamprimum in urbe illa adventabant.

## §. XLVII.

*Sessio IX. Basileensis Synodi.*

Die vigesima secunda Januarii, quæ erat feria quinta, habita est nona Concilii Sessio, ubi Patres Sigismundum ob fervens ejus studium, ac strenuam operam, qua Synodum contra quævis Eugenii molimina propugnaverat, grato prosequi animo intenti erant; quapropter eundem vicissim suo quoque præsidio honorabant, illumque adversus quascunque censuras, atque anathemata in eum a Pontifice lata vel ferenda protegebant; quem in finem in hac Sessione declarabant, quod quæcunque Eugenius contra

Sæcul. XV.  
A.C. 1433.

Labb. Conc.  
to. 12. p. 500

**Sæcul. XV** Cæsarem faceret, aut moliretur, irrita,  
**A.C. 1433.** nulliusque robõris essent. Eundem præ-  
 fidii favorem extendebant in Bavarie  
 Ducem, atque in ceteros quoscunque Sy-  
 nodi fautores.

## §. XLVIII.

*Sessio X. Concilii Basileensis.*

**Id. ib. p. 501.** **D**emum Sessio decima celebrata est un-  
**& 503.** **de**vicecima Februarii. Cum vero se-  
 xaginta dierum terminus Eugenio ad  
 revocandam Synodi dissolutionem a se  
 decretam concessus expirasset, postula-  
 runt Promotores, eundem ob suam per-  
 tinaciam, velut contumacem, condemna-  
 ri. Huic Sessioni intererant quadraginta  
 sex Prælati, unacum quinque Cardinali-  
 bus, quos inter tres erant Presbyteri, ac  
 duo Diaconi. Perlecta contumaciæ ac-  
 cusatione in Eugenium prolata, Cardi-  
 nalis Julianus Præses nomine Concilii  
 dixit: *Audivit hæc sacra Synodus relatio-  
 nem factam per Episcopos, & petitionem  
 vestram, idcirco hæc S. Synodus iudices de-  
 putat, ad videndum & examinandum pro-  
 cessum factum contra Papam Eugenium, &  
 referant in congregatione Generali.* Facta  
 hac relatione Patres circa declarationem  
 contumaciæ deliberantes, latam appro-  
 babant sententiam, totiusque negotii ab-  
 solutionem ad aliud tempus remittebant.

§. XLIX.

## §. XLIX.

Sæcul. XV.  
A.C. 1433.*Pontifex ab Imperatore sollicitatus.*

Interea Julianus Cardinalis Papæ constantiam novis molitionibus expugnaturus, eundem omnibus viribus absterere conatur, ne Synodum legitime convocatam dissolveret, exponens, illam invitis Patribus eam constituentibus omnino dissolvi non posse. Imperator quoque Sigismundus, qui adhuc in Italia agebat, Cardinalis preces interposita quoque Cæsarea auctoritate fulcire satagebat, Pontifici ob oculos ponens, unicum, quo Ecclesiæ pax promoveretur, medium in eo esse positum, ut sua Basileensi Synodo libertas relinqueretur, nec enim Græcorum causam æque urgentem esse, quam Bohemorum salutem; Græcos quippe in suis erroribus jam a longo tempore inveteratos persistere, ac vix ullam conversionis suæ spem reliquam facere, horumque reductionem ad sinum Ecclesiæ adhucdum moram pati, nec inde timendum, quod Ecclesia ab eis nova plaga afficeretur: Ex adverso a Bohemis furore, & rabie actis hæreses novas ferro, & sanguine latius diffundi, atque ex omnibus istis palam fieri, quanta necessitas suaderet, Synodum, velut unicum hosce hæreticos compescen-

Sæcul. XV.  
A. C. 1433.

di medium prosequi. Tandem concludit dicendo, se semper, si Eugenius Papa Synodo resistere pergeret, eam auctoritate sua defensurum.

## §. L.

*Legatio Papæ ad Synodum.*

*Labbe Conc.  
to. 12 p. 940.*

Cæsar's responsum Pontificem ad iram commovit; hinc eidem rescripsit, non esse Cæsar's de decretis Pontificum, ac Concilii iudicium ferre, sed suarum duratam partium esse, illis morem gerere, atque ea effectui dare. Hanc in rem Eugenius Oratores fidei publicæ literis munitos Basileam ablegavit, nimirum, Joannem Mella Protonotarium Apostolicum, Episcopum Cerviensem, duosque Abbates, qui omnes die octava Martii ad Congregationem admissi, in pleno Patrum consensu Legationis suæ negotia exponebant.

## §. LI.

*Legatorum Papalium oratio ad Synodum.*

*Id. ib. p. 505.* Hi ergo præprimis hunc in modum perorabant: Equidem summus Pontifex de plenitudine potestatis, atque auctoritatis suæ omni jure Concilium dissolvere, atque ad alium, quemcunque voluerit,

luerit, locum transferre potest, quin pro-  
 pterea Concilii Constantiensis sanctioni-  
 bus adversaretur, nihilominus tamen  
 sanctitati suæ placuit, pacis & concordiae  
 studio aliquid etiam de jure suo, quan-  
 tum Dei, sedisque Apostolicæ honor pa-  
 titur, remittere, proin rogat, ut Patres  
 translationem Concilii ad civitatem Bo-  
 noniensem æquo animo ferrent, hanc e-  
 nim pro maxima Religionis Christianæ  
 utilitate decrevit; vicissim tamen pol-  
 licetur Eugenius, se decreta omnia per  
 eum adversus Patres promulgata quam-  
 primum abrogaturum, si & ipsi sua in Pa-  
 pam edita revocaverint; si vero, subjun-  
 xerunt Legati, Bohemi Bononiam pete-  
 re recusant, concedit Papa, ut Patres in-  
 tra certum temporis spacium cum eis Ba-  
 fileæ agere, ac etiam Principes Chri-  
 stianos conciliandi negotio incumbere  
 possent; dummodo elapso termino Bo-  
 noniam se conferant. Si vero præfata  
 Civitas eis minus arrideret, aliam sibi se-  
 ligerent intra Italiam; denique si nulla  
 harum propositionum eis æqua, rataque  
 haberetur, annuit Eugenius, ut duodecim  
 Præsules neutri parti suspecti ex eorum  
 coetu nominarentur, qui unacum Princi-  
 pum Oratoribus velut arbitri hac super re  
 cognoscerent. Hi vero, si Synodum in-  
 tra Germaniæ fines omnino celebrandam  
 F 4 esse,

Sæcul. XV.  
 A.C.1433.



Sæcul. XV. esse, decisuri forent, alius extra Basileam  
A.C. 1433. locus designaretur.

## §. LII.

*Patrum Synodi responsum.*

*Labb. Conc.* **H**æc Legatorum oratio Patribus minus  
*to. 12. p. 699.* grata acciderat; quapropter illis re-  
 spondent, se semper ac palam professos  
 esse, Synodum legitime fuisse congrega-  
 tam, proin nec a Romano Pontifice sine  
 ipsius Concilii assensu dissolvi posse, nec  
 ipsos Patres absque Religionis, & Eccle-  
 siæ dedecore ejusmodi petitionibus, quas  
 omnino absonas, atque illicitas censerent,  
 ullatenus annuere posse.

## §. LIII.

*Sessio XI. Basileensis Synodi.*

*Ibid. p. 505.* **O**ratores Eugenii accepto responso dis-  
 cedunt, die vero vigesima septima  
 Aprilis, quæ erat feria secunda, habita  
 est Sessio undecima, in qua Patres sedu-  
 lam navarunt operam, ut Constantiensis  
 Synodi decretum in sessione trigesima  
 nona conditum, quo Concilia pro refor-  
 matione Ecclesiæ convocari sancitur, ex-  
 planarent, sensumque illius genuinum  
 definirent, hac via cavillationibus Fau-  
 torum Curia Romanæ obviaturi, qui  
 sele

sefe huic decreto continuo opponere vo-  
lebant (\*).

Sæcul. XV.  
A.C. 1433.

Itaque statuunt, ut, si forte Pontifex  
negligeret, aut juxta præfati decreti (\*\*)  
sanctio-

(\*) *Nec Papam nec Romanæ Sedi addictos  
frequenti Conciliorum convocationi se unquam  
opposuisse, ex tot Synodorum longe ante Ba-  
sileensem celebratarum decretis constat, cunctis  
ad reformationem Ecclesiæ tendentibus. Illis  
vero non solum summi Pontifices, sed universa  
Ecclesiæ sese opposuit, & hodie dum opponit, qui  
sub obtentu reformandæ Ecclesiæ se ab obedi-  
entia supremo Capiti debita subtrahunt, Concilio-  
rum auctoritatem eo tantum fine usque ad si-  
dera tollunt, ut depressa supremi Judicis au-  
thoritate ipsimet fidei, morum disciplinæ, ac to-  
tius Reipublicæ Christianæ arbitri evadere pos-  
sent; cujus rei luculentum nobis exhibet speci-  
men Basileensis Concilii historia, in qua nil nisi  
continua contra legitimum suum caput rebellio,  
insatiabilis membrorum ambitio, proprii judicii  
pertinacia tanto excessu deprehenditur, ut con-  
ciliabulum, quod illius fautores legitima Pon-  
tificis auctoritate dissolvere detrectarunt, tan-  
dem Principes etiam sæculares vi atque minis  
dissiparint.*

(\*\*) *Spondanus, quem alias Continuator ad-  
modum copiose descripsit, ad hunc annum num. 8.  
addit hæc verba: Quorum decretorum quæ-  
dam in suum sensum explicarunt.*

Sæcul. XV.  
A.C. 1433.

sanctionem Synodos singulis decem annis convocare, ac celebrare detrectaret ad Ecclesiasticos, alias de jure vel consuetudine interesse solitos, Concilium convocandi jus devolveretur, requisita nequidem Pontificis licentia; ita quidem ut nec ipse Papa ejusmodi convocationem impediendi potestatem haberet; Si vero Pontifex quovis pacto talis Synodum celebrationem inturbet, ipso facto a officio Papali suspensus declararetur (\*) ejusque administratio Apostolica ad Concilium devolveretur. Si autem Papa, aut quicumque, quibus Synodos convocandi jus competit, huic decreto non satisfecerint, vel obstinati fuerint, adversus eos usque ad privationem suarum dignitatum generale Concilium procederet. Præterea explicarunt Patres hæc Constantiensis Synodi verba: *Nullatenus prorogetur*, declarando, quod per ea Synodum differre, omnino prohibeatur, ita ut nec per ipsum summum Pontificem prorogari, aut Concilium actu congregatum dissolvi, transferri, aut interrumpi possit. Tandem Patres decreverunt, quod

(\*) Hæc Continuator minime ex Actis Concilii, sed ex suo Edmundo Richerio Hist. Conc. l. 2. fol. mihi 407. desumpsit, forte haud alio consilio, quam quod ille acriori stylo in Pontificis auctoritatem descivisset.

futuri Concilii locus uno mense ante finem prioris Synodi designaretur, atque imposterum illi, quos in Pontificem eligi contingeret, hujus decreti observantiam jure jurando sponderent: id vero ita intelligendum, ut Papam eligentes ante Conclavis ingressum sacramento fidem suam obstringerent, eum, qui ex ipsis eligendus esset, hoc decretum exacte servaturum. His peractis Synodus laudatum decretum promulgari jussit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1433.

§. LIV.

*Præsides a Papa ad Synodum missi.*

Paucis post hanc consultationem elapsis diebus Synodus a Sigismundo Rege literas accepit Viterbii die nona Maji datas, quibus significabat Patribus, a Pontifice Legatos fuisse deputatos, qui ejus nomine Concilio a se confirmato præsentes, sed quia horum discessui quædam adhuc obstarent impedimenta, alios interim præsides ab eodem mitti. Quapropter hortabatur Patres, ut hosce Legatos speciali honore reciperent, nec quicquam agerent, quo Ecclesiæ pax perturbari posset. Demum eosdem certiores reddebat, Papam altesatis Deputatis, donec quatuor Cardinales Legati Basileam venirent, plenam decidendi potestatem dedisse, adhibito tamen ceterorum  
Synodi

Sæcul. XV. Synodi Patrum consilio. Insuper Sigis-  
 mundus ceteras quoque conditiones, quas

A.C. 1473.

Pontifex ab illis observari præcepisset,  
 Patribus perscripsit. Receptis hisce li-  
 teris Basileenses coacto conventu, rebus  
 que mature discussis, responderunt, se hæc  
 pacta admittere non posse. I. Eugo-  
 nium enim non profiteri, legitimum Con-  
 cilium hætenus Basileæ fuisse, sed novum ce-  
 lebrari statuisse, hinc Patres non posse susci-  
 pere decretum de novo Concilio Basileæ ce-  
 lebrando, quoniam facere viderentur Basileæ  
 Concilium hætenus legitimum non fuisse.  
 Et se fuisse schismaticos ac rebelles, qui te-  
 mere, Et sine auctoritate convenissent. II.  
 Eundem Legatis suis dedisse auctoritatem de-  
 cernendi **CUM CONSILIO PATRUM**.  
 hoc autem Patres ferre nullo modo posse,  
 quia, inquiebant illi, si Patres consulenti-  
 tantummodo potestatem haberent, possent le-  
 gati etiam contra Patrum consilia decernere.  
 Præterea, subjungunt, non competere lega-  
 tis potestatem agendi de emendatione, ac re-  
 formatione capitis Ecclesiæ, sine qua ne ce-  
 tera quidem membra recte curari possent.  
 Denique concludunt: Collusiones igitur  
 hæc esse manifesta indicia, non reconcilia-  
 tionis. Hæc sunt propria Augustini Pa-  
 tricii Senensis Canonici verba.

Aug. Patric.  
 Conc. Basil.  
 Et Florent.  
 c. 29a

*Legati Pontificii a Synodo repulsi.*

Hæc erat Synodi Patrum sententia ; quocirca hosce Legatos Basileam ingressos admittere recusabant, caussati, eos potius pro novo celebrando Concilio, quam pro confirmando, quod hæctenus celebratum fuisset, missos esse. Decretum Eugenii, inquiebant illi, magis ad destruendam, quam confirmandam Basileensem Synodum collimat. Hæc videri possunt in responso, quod hisce Deputatis die decima sexta Junii in quadam Congregatione datum fuit (\*). Ex Augustino Patricio discimus, a Papa, ut Præsidum vices agerent, deputatos fuisse, Joannem Mella, cujus supra meminimus, Archiepiscopum Tarentinum, & alios

(\*) *Ex his omnibus manifeste apparet, Basileenses nullatenus puro Religionis zelo, sed unice cavillandi, ac Papæ auctoritatem deprimendi studio Eugenium insectatos fuisse. Unde merito a plerisque Historicis immodicæ ambitionis postulantur, qua Eugenio eorum insolentiæ etiam cedenti, nihilominus obfirmato animo adversabantur, eo duntaxat consilio, ut sibi per nefas supremam arrogarent auctoritatem, ac pro suo arbitrio sibi de pinguioribus Sacerdotiis providerent.*

Sæcul. XV. alios duos eorum socios, quibus jam an  
 A.C. 1433. tea idem negotium commissum erat.

## §. LVI.

*Regis Cypri ac Burgundiæ Ducis  
 Oratores ad Synodum.*

*Naucler. ge-  
 ner. 48. p. 450* Sub idem tempus Joannes Cypri Rex  
 & Philippus Burgundiæ Dux Legatos  
 Basileam allegarunt, qui Patribus concor-  
 diam nunciarent, quæ tandem die vige-  
 sima sexta Aprilis, opera Nicolai Esten-  
 sis Marchionis, inter Philippum Medio-  
 lani Ducem, Venetos, Florentinos, Se-  
 nenses, Lucenses, aliosque utrinque fe-  
 deratos Ferrariæ conclusa esset. Hujus  
 pacis articulos, atque condiciones pas-  
 sim referunt Historici; haud tamen diu-  
 turna fuit hujus concordiae felicitas; Pa-  
 pa enim Eugenius non multo post ad re-  
 fuscitandas belli flammæ, quæ nonnulli  
 Anno millesimo quadringentesimo qua-  
 dragesimo octavo extinctæ fuerunt, Me-  
 diolani Ducem instigabat.

## §. LVII.

*Furgia inter Burgundiæ & Sabaudia  
 Ducum Oratores.*

Ad eundem annum refertur Burgundiæ  
 Ducis Oratorum adventus ad Basi-  
 leensem Synodum; inter quos præcipuus  
 erat

erat Joannes Nivernensis Episcopus. Cum autem Amadæi Sabaudia Ducis Legati jam omnium primi advenissent, primas quoque in Synodo occupabant sedes: Verum Burgundiones adversus eos Ducis sui nomine de præcedendi jure contendebant; Sabaudis vero cedere recusantibus, hac super re indicta est Congregatio, in qua post motas ultro citroque altercationes ita demum res composita est, ut Burgundia Ducis Oratores post Alexandrinum Patriarcham dextrum occuparent locum, sinistrum vero Sabaudia Ducis Legati post Patriarcham Antiochenum tenerent. Confectum quoque ea de re instrumentum hoc eodem anno die septima Augusti præsentate Juliana Cardinali Synodi Præsidente, sex aliis Cardinalibus, Alexandrino, & Antiocheno Patriarchis, Amadæo Lugdunensi, & Hugone Rothomagensi Archiepiscopis, aliisque pluribus Prælatibus. Dicto instrumento Episcopus Bellicensis, ceterique ipsius socii ejusdem Sabaudia Ducis Oratores acquiescentes, acceptant locum ipsis post Patriarcham Antiochenum assignatum, donec de novo advenirent aliqui Regum aut Ducum Legati, quibus jure cedere deberent: contestatione tamen prius facta, se paratos esse, quotiescunque necesse foret, documentis fide dignis comprobare, quod trecentis omnino annis

Sæcul. XV.  
A.C.1433.



Sæcul. XV.  
A.C. 1433

nis, antequam Sabaudia in Ducatum erigeretur, Sabaudia Comites jam fuerint ac nuncupari consueverint Caballiaci & Augustæ Duces; merito igitur illis præferantur, qui posteriore tempore Ducis titulum accepissent. Quibus subjungebant, sibi priorem locum repetendi in saluum esse, si forte eorum Dux præcessionis instrumentum ratum non haberet. Nihilominus primæ Sedis prærogativam haud amplius obtinere poterant etiamsi Amadæus in quadam Epistola ad Concilium scripta graviter hac de re conquestus esset.

§. LVIII.

*Alia contentio inter S. R. I. Electores, & Burgundia Legatos.*

**H**aud dissimilis controversia oriebatur inter S. R. Imperii Electores, & Burgundia Ducis Legatos. Illi enim his cedere detrectabant, prout ex literis Sigismundi discimus, anno sequenti ad Synodum datis, in quibus Cæsar se summo pere gavisum esse testatur, quod Patres cautelæ loco *Imperii Archi-Principibus* (ita S. R. I. Electores appellat Sigismundus) sedes ab eis occupandas designassent, eamque contentionem cum Burgundia Duce feliciter composuissent. Quibus vero locus eorum Oratoribus assignatus

tus fuerit, Imperator non exprimit, sed <sup>Secul. XV.</sup>  
 duntaxat testatur, quod <sup>A. C. 1433.</sup> *huiusmodi provi-*  
*sio ipsius Sacri Romani Imperii, ac ipso-*  
*rum Archi - Principum honori expediat.*  
 Anno sequenti de eodem jure Burgun-  
 diæ Ducis Oratores contendebant cum  
 Legatis Britanniae Ducis; Synodus au-  
 tem confecto desuper instrumento die  
 quinta Julii publicato Burgundionibus  
 dextrum latus designabat. Ast hæc i-  
 psa sententia postmodum opera Turonen-  
 sis Archiepiscopi, qui Concilio interfue-  
 rat, revocata est. Silentio prætereo a-  
 lias ejusmodi controversias Anglos inter  
 & Castellanos motas, quas Patres, salvo  
 utriusque partis jure, diremerunt.

## §. LIX.

*De concordia Sigismundi cum Eu-  
genio Papa.*

**I**nterea Sigismundus diuturnioris moræ  
 impatiens, quam a tanto tempore non  
 sine gravibus civium impensis, Senis tra-  
 hebat, & aliunde cum Florentinis pacem  
 inire, eosve compescere posse desperabat,  
 a Papa Eugenio Imperiali corona sole-  
 mniter redimiri petiit; potissimum enim  
 hac ex caussa in Italiam profectus est.  
 Eugenius Cæsaris Legatos summis ho-  
 noribus excepit, & die septima Aprilis  
 cum eisdem statuit, ut Sigismundus vel

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXVII. G Vi-*

Secul. XV.  
A. C. 1433.

Viterbii, vel Romæ Papam accederet, ibidem aut coram Pontifice, aut in manibus sui Legati solitum, juxta Clementinæ Bullæ formulam, præstaret juramentum, nec tamen aliis, quam suis familiaribus stipatus veniret, neque ullum Ecclesiæ, Pontificis, aut Populi Romani hæstem secum duceret. Sigismundus hæc capitula rata habuit, quæ item Synodus significavit; Patrum enim machinationes sibi obfuturas timebat; hinc obtestabatur se, quamvis Eugenio omnem, quam secundum Deum posset, opem promissile nunquam tamen quicquam in Synodo præjudicium attentaturum, sed illam semper omnibus viribus protecturum. Post hæc Sigismundus sese sine mora itinerari accinxit.

## §. LX.

*Sigismundi ingressus in urbem.*

Cum Sigismundus urbi Romanæ appropinquaret, Papa obviam illi mille quosdam Cardinales, & plurimos Prælatos, ac Proceres Romanos, unacum maxima parte Cleri, qui omnes ingenti pompa, ac magnificentia Imperatorem in urbem deducebant. Ipse Pontifex ad gradus Basilicæ Vaticanæ ejus adventum præstolans, venientem cum magno apparatu excepit, dato pacis osculo. Sigismundus

gismundus vero in genua procumbens, osculatus est Pontificis pedes.

Sæcul. XV.

A.C. 1433.

§. LXI.

*Sigismundi coronatio.*

Die vigesima prima Maji Imperator magnificum prorsus ingressum in urbem adornavit: in festo autem Pentecostes solemnissimis Cæremoniis coronatum Pontifex Imperatorem Augustum nuncupavit, postquam prius de fide Catholica strenue defendenda, juribusque ac privilegiis Romanæ Ecclesiæ tuendis consuetum præstitisset juramentum. Quo facto Sigismundus Pontifici equitanti de more stratoris officium exhibuit, multosque tum Italos, tum Germanos in Equestrem ordinem adscivit. Posthæc Romæ aliquamdiu morabatur, ubi magnis honorum, ac benevolentiæ signis a Summo Pontifice cumulatus, Ferrariam, inde Mantuam pervenit, & Joannem Franciscum Gonzagam Mantuanæ hujus ditionis Principem Marchionatus dignitate ornavit.

*Nausler. ge-*

*ner. 48 p. 450*

§. LXII.

*Gesta Legatorum Synodaliū apud Pragenses.*

Deputati a Synodo Pragæ missi, cum ad conductum diem festum Sacrosan-

*Cochlæ. Hist.*

*Huffit. lib. 7.*

G 2

ctæ

Saecul. XV. A.C. 1433. saecul. XV. A.C. 1433. saecul. XV. A.C. 1433. saecul. XV. A.C. 1433.  
 ctæ Trinitatis ingentem populi multitudinem, plurimosque Magnates, ac Clericos confluisse comperissent, opportuna hac occasione usi, adhortabantur eos ad pacem, submissionem, & concordiam, animis ita dispositis, si quæ dubia haberent, eo pacatiori consilio discuti possent. Ast Bohemi pertinaciter suis quatuor articulis antea propositis inhærentes, omnia eos declarari postulabant. Igitur Legati Synodales, cum nimium se urgere cernerent, hosce articulos scriptos consignari petunt, illosque unacum totius rei gestæ summa ad Synodum transmittunt. Interea temporis Delegatorum quatuor nomine Concilii Bohemis proponunt, quod, si circa tres duntaxat postremos articulos Synodi explanationem acceperent, atque ad unitatem redire velent, facile circa primum etiam articulum de Communione sub utraque specie amicè componi posset. Postquam ergo hi Synodi expositionem circa tres reliquos accepissent, eam in publico seniorum populi confesso prælegerunt. Primi articuli declaratio in eo sita erat: *delenda est ista verba: Quorum interest; eo quod tenemus iste nimium generalis esset, simpliciter ergo dicendum quod peccata rationabiliter secundum legem Dei, & sanctorum Patrum instituta corrigentur.* Secundi articuli declaratio sequentibus concepta

cepta erat verbis: *Ne ex verbo libere su-* Sæcul. XV.  
*meretur occasio dispendiosæ libertatis, dici-* A. C. 1432.  
*mus, quod secundum scripturæ sacræ sen-*  
*tentiam catholice sit tenendum, quod verbum*  
*Dei a Sacerdotibus Domini, & Levitis ad*  
*hoc idoneis, & per Superiores, ad quos per-*  
*tinet, approbatis, & missis, libere, non tamen*  
*passim, sed ordinate & fideliter prædicetur,*  
*salva auctoritate Pontificis, qui est Præordi-*  
*nator in cunctis, juxta sanctorum Patrum in-*  
*stituta. Tertium vero Articulum Syno-*  
*odus ita correxit: Ecclesiastici Viri bona*  
*Ecclesiæ, quorum sunt administratores, de-*  
*bent fideliter administrare, juxta sanctorum*  
*Patrum salubria instituta. Ipsaque bona Ec-*  
*clesiæ ab aliis, quam ab his, quibus admini-*  
*stratio canonice est commissa, usurpari sine sa-*  
*crilegii reatu non possunt.*

## §. LXIII.

*Communio sub utraque specie a De-*  
*putatis permissa.*

**B**ohemi, habita deliberatione circa istas *In Fascic. de*  
 Synodi declarationes, assererant, nol- *Voc. Boh. ad*  
 le se super prædictis suum dare respon- *Conc. Bas.*  
 sum, nisi prius id, quod circa materiam *p. 315.*  
 de Communionem sub duplici specie adhuc  
 exponendum restaret, percepissent. De-  
 putati hac Bohemorum pertinacia com-  
 pulsi sequentem exhibuerunt declaratio-  
 nem: *Consuetudo generalis Ecclesiæ per-*

Sæcul. XV. longissima tempora hoc habuit, & habet, quod  
 A. C. 1433. non conficientes sub specie panis tantum com-  
 municent. Quam consuetudinem ab Ecclesijs  
 & sanctis Patribus rationabiliter introductam  
 & diutissime observatam, non licet reproba-  
 re, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito  
 immutare; Sancta vero Mater Ecclesia suaderet  
 tibus causis rationabilibus, facultatem com-  
 municandi populum sub utraque specie potest  
 concedere, & largiri . . . . . Nihilominus  
 si perseverantes in desiderio vestro hoc postula-  
 veritis (nempe Bohemorum Oratores  
 Sacrum Concilium Sacerdotibus vestris com-  
 municandi sub utraque specie populum ves-  
 strum, eos videlicet, qui in annis discretionis  
 constituti, reverenter & devote postulaverint,  
 auctoritatem & facultatem in Domino largi-  
 tur: hoc semper observato, quod Sacerdotes  
 sic communicantes semper dicant, quod ipsi  
 debent firmiter credere, quod non sub specie  
 panis caro tantum, nec sub specie vini Sanguis  
 tantum, sed sub qualibet specie est integer  
 totus Christus. Verum ex hac ipsa declara-  
 tione majora adhuc enata sunt dubia.

## §. LXIV.

Deputati inter Bohemos dissensionem  
 moluntur.

Cochl. Hist.  
 Hist. l. 7.

Deputati se hucusque operam perdidit  
 se intelligentes efficaciora remedia  
 arripere cæperunt. Igitur cum haud  
 igno-

ignorarent, quod Nobilium, ac civium Bohemorum Ordines nonnisi armis, ac vi coacti, præsertim tunc, cum ab Imperatore, ac Imperii Principibus derelicti fuissent, Hussitarum partibus accessissent; aliunde vero continuis militum, ac rusticorum insultibus expositi sub intolerabili jugo gemere cogentur, ac præterea palam profiterentur, se semper paratissimos esse ad pacem cum Deputatis ineundam, dummodo ipsis melioris conditionis spes offerretur; ideo Deputati habita omnium ratione Nobilibus ac Bohemorum urbium civibus suggerunt, pessime eos rebus suis consuluisse, quod exauctorato Cæsare Procopii jugum cervicibus suis imposuissent, excussoque miti ejusdem regimine sese cujusdam Presbyteri schismatici (\*) tyrannidi subjecissent, cum tamen ille non aliam legem, quam effrænatam suam dominandi libidinem agnosceret, & ubi avitis legibus tota Bohemorum Monarchia nonnisi quatuor Regni Statibus constabat, ipse quintam erexisset factionem, nempe exercitum suum, qui armorum violentia totam sibi soli vindicaret auctoritatem, ceteris penitus exclusis; subjunxerunt quoque, armatos hosce viros haud contentos esse, ut ad satiandam suam avaritiam

Sæcul. XV.  
A. C. 1433.

G 4

tiam

(\*) Is erat Rochisana.



Sæcul. XV. tiam immensa imponerent tributa, atque  
 A.C. 1433. ea etiam per vim extorquerent, sed jam  
 eousque processisse, ut eorum petulantia  
 haud aliter, quam communi jugi excu-  
 sione castigari posset, nec aliam superesse  
 viam, ut tandem perversa prævenirentur  
 Hussitarum consilia, qui Bohemos, post  
 quam illos omnibus suis bonis exspoli-  
 a-  
 sent, etiam penitus exterminare medita-  
 rentur.

Cunctæ hæ rationes intimo sensu Pro-  
 cerum, civiumque corda penetrabant; at  
 tamen Nobilium crumenæ erant exhau-  
 stæ, cives vero eisdem pecunias mutua-  
 dare, haud satis sibi cautum fore existi-  
 mabant. Ergo Deputati Catholicæ fidei  
 dei in Bohemia restaurandæ negotium  
 ob tam vile obstaculum retardari maxi-  
 mopere dolentes, Basileam epistolas gra-  
 vibus adeo verbis conceptas perscribunt,  
 ut collectæ pro insolitis hujus regni ne-  
 cessitatibus in urbe fieri permitteren-  
 tur. Ex illis coacta fuere haud amplius,  
 quam octodecim aureorum millia, &  
 nihilominus hac pecuniarum summa,  
 quamvis rerum indigentiam minime ex-  
 æquaret, totum id obtinebatur, quod  
 alio longe majori subsidio sperari vix po-  
 tuisset; illius enim dispensatio inclyta  
 juxta ac generoso cuidam Nobili Bohe-  
 mo demandata fuit. Hic erat Mainra-  
 dus de Neuhaus, seu *de nova domo*, Vir  
 mili-

*Mancler. ib.*  
 n. 451.

militaris, animi fortitudine, rerumque experientia clarissimus, qui liberatoris Patriæ nomen sibi demereri gaudebat.

## §. LXV.

*Sessio XII. Basileensis Synodi.*

Interea temporis die decima tertia Julii, quæ erat feria secunda, habita est sessio ordine duodecima, in qua Patres pluribus conquerebantur de mala Eugenii fide, cum, ut inquiebant, *nil aliud prætere videretur, nisi ut jus successoribus suis faceret, non solum abrogandi ritum sacrorum Conciliorum, sed & ipsorum decreta irritandi, & abolendi.* Postea eidem exprobrant, quanto jam ultra sesqui annum studio desudassent, ut tandem animum ejus moverent, atque ad fovendam Basileensem Synodum inclinarent, nunquam tamen ejus pertinaciam frangere potuissent. Quapropter jam in eo erant, ut adversus ipsum definitivam condemnationis sententiam pronunciarent, veriti, ne ulterior eorum indulgentia ipsis noxia, Eugenio autem ad perversa ejus consilia magis firmanda opportuna esset. Verum Sigismundi precibus absterri nil amplius attemptarunt, quam quod alios adhuc sexaginta dies eidem præfigerent, quibus elapsis, nisi contumax, ac manifestus prævaricator declarari vellet, mentem suam

Sæcul. XV. de dissolvenda vel transferenda Synodo  
 A. C. 1433 revocaret.

## §. LXVI.

*Decretum citationis adversus Eugenium Papam.*

*Ibi l. p. 509.* Ergo citationis decretum promulgant, sed verbis admodum acerbis conceptum; in eo quippe Papam convitiantur velut *incorrigibilem, Virum scandalizantem Ecclesiam*, illumque ab omni ipsius *Papatus administratione suspensum* declarant, prohibentque, ne fideles Eugenio ullatenus ratione *Papatus* obediant, denique omnibus illius *Prælati* præcipiunt, ut *Synodum* accedant.

## §. LXVII.

*Decretum de electionibus.*

*Ibi l. p. 513.* In eadem Sessione Synodus aliud condidit decretum, quo renovat jus electionum ab Apostolis fundatum, & a primo Concilio Nicæno in quarto & quinto Canone confirmatum. Hoc decreto sancitum est. I. *Generalis reservatio omnium Ecclesiarum, Metropolitanarum, Cathedralium, Coilegiatarum, Monasteriorum, ac dignitatum electivarum per Romanum Pontificem de cætero fieri non debeat reservationibus in corpore juris clausis, & his, quas in terris*

*terris Romanæ Ecclesiæ subiectis fieri conti-*  
*gerit, semper exceptis, sed per electiones debi-*  
*te provideatur, non derogando propterea sta-*  
*tutis, privilegiis, & consuetudinibus in dispo-*  
*sitione juris communis remanentibus. II. In-*  
*ter alia, quæ Romanus Pontifex in sua as-*  
*sumptione profitebitur, juret hoc decretum in-*  
*violabiliter observare. III. Hi, ad quos jus*  
*pertinet eligendi, omnem curam adhibeant, ut*  
*dignam coram Deo & hominibus electionem*  
*faciant, exactamque apponant sollicitudinem,*  
*ut tales eligant, qui tanto officio valeant sa-*  
*tisfacere, & ne in re tam gravi negligenter se*  
*gesserint, hi ad quos ejusmodi electio spectat,*  
*adveniente die in Ecclesia conveniant, magna*  
*cum devotione Missam de Spiritu Sancto au-*  
*dituri, contriti & confessi sacramentum Eu-*  
*charistiæ reverenter suscipiant, ut eo facilius*  
*gratiam divinæ inspirationis obtinere merean-*  
*tur ad dignum eligendum Pastorem. Ad lo-*  
*cum vero electionis ingressi, jurabunt in mani-*  
*bis ejus, qui Capitulo præsidebit, & ipse Præ-*  
*sidens in manibus eum immediate sequentis,*  
*eum eligere, quem credent futurum Ecclesiæ,*  
*vel Episcopali, vel Abbatiali, utiliorem,*  
*nec illi vocem dare, quem verisimiliter scive-*  
*rint promissione, aut ratione alicujus rei tem-*  
*poralis, seu prece per se aut alium interposi-*  
*ta, pro se electionem procurare. Hujus au-*  
*tem juramenti formulam Synodus præ-*  
*scribit. IV. Eligant virum ætatis legitimæ,*  
*moribus gravem, literarum scientia prædi-*

Sæcul. XV.

A. C. 1433.

Conc. Labbe  
 tom. 12. sess.  
 XII. Conc.  
 Basil. decret.  
 tum de elect.

Sæcul. XV.  
A. C. 1433.

*tum, in sacris ordinibus constitutum, & aliam idoneum. Quod si aliter, aut per Simoniacam pravitatem electionem fieri contigerit, electio sit ipso jure irrita & inanis, & sic simoniacum eligentes, perpetuo sint ipso facto jure eligendi privati. V. Tandem Patres adhortantur Principes, communitates, & alios, cujuscunque gradus & dignitatis existant, ne electoribus literas scribant, aut preces porrigant pro eo, qui per se, vel per alium tales preces, seu literas procurabit, multoque minus comminationes, impressiones, at aliud faciant, quo minus libere ad electionem proceedatur.*

§. LXVIII.

*Epistola Eugenii ad Patres Synodi.*

**E**ugenius hæc decreta, præsentis Sessione condita, præcipue primum, summa indignatione excepit, cumque jam antea graviter a Synodi Patribus offensus esset, quod illi paulo ante Legatos, quibus de Synodo Bononiam transferenda cum Basileensibus agere præceperat, recipere, ac audire recusassent, ideo die vigesima nona Julii Constitutionem edidit, qua omnes citationes, judicii acta, & decreta Basileæ contra se, contra Sacram Sedem, & contra Cardinales hucusque condita, ac quæcunque imposterum condenda, omnino irrita ac nulla declaravit, exceptis

ceptis duntaxat illis, ad quæ pertractanda Sæcul. XV.  
 ipse Synodo auctoritatem dedisset. Ve- A. C. 1433.  
 rum paulopost Pontifex nonnihil fervo-  
 rem suam temperasse videbatur; quippe  
 epistolam die prima Augusti datam ad Syn-  
 odum misit, qua significabat, quod intelle-  
 ctis causis, ob quas Legati a se missi re-  
 jecti fuissent, tandem declararet, a se ad  
 tollendam omnem schismaticis occasio-  
 nem, & ad preces Imperatoris, necnon  
 de consilio trium Cardinalium (qui soli  
 eidem erant præsentibus) Synodum a tem-  
 pore suæ inchoationis approbari, illius-  
 que continuationem ratam haberi, eo ef-  
 fectu, ut Patres hæresibus, bellis, morum-  
 que corruptelis tandem extirpandis, aliis-  
 que abusibus tollendis tranquille incum-  
 bere valeant, perinde ac si nulla transla-  
 tio vel dissolutio unquam facta fuisset, un-  
 de a se tam hanc quam illam plene ac si-  
 ne omni exceptione revocari. Insuper  
 pollicebatur, se præsentem Synodum pro  
 viribus promoturum, omnique favore pro-  
 secuturum, dummodo Legati sui admitte-  
 rentur, ac omnia decreta adversus ejus  
 personam, auctoritatem ac libertatem con-  
 dita, necnon adversus Sacram Sedem,  
 Cardinales, Prælatos, aliosque sibi adhæ-  
 rentes in Concilio gesta abolerentur.

§. LXIX.

Sæcul. XV.  
A. C. 1433.

§. LXIX.

*Altera ejusdem Pontificis epistola.*

Die decima tertia Augusti idem Papa alteram scripsit epistolam, qua iisdem Archiepiscopis, ac Præsulibus, necnon & Nicolao Abbati injunxit, præfatorum decretorum revocationem a Synodo postularent. Præterea illis facultatem concessit, vi cujus cuncta, quæ vel a se metipso, vel auctoritate sua adversus dictam Synodum, aut contra ejus membra fuissent gesta vel decreta, revocare, atque irrita declarare valerent.

§. LXX.

*Sessionis XII. decretum a Papa abolitum.*

Cum vero nec hisce duabus epistolis Concilii Patres moverentur, nihilque eorum, quæ fecissent, revocari posse, aut deberi contenderent, sed palam affirmarent, Papam utpote Synodo inferiorem sese illis *pure ac simpliciter* subjicere, oblitum esse, Eugenius in Patres concitatus de plenitudine potestatis suæ decretum in Sessione XII contra se, contra Cardinales, ceterosque conditum, nullum, irritumque pronunciavit, Constitutione hanc in rem die decima tertia Septembris edita, quam ubique promulgari curavit, ut  
quan-

quantum in se esset, Concilii auctoritatem reprimeret, suamque tueretur: quapropter in eadem hac Bulla declarat rationes, ob quas Concilii dissolutionem decrevisset, omnes omnino æquissimas esse, seque *de plenitudine potestatis atque auctoritatis*, quæ sibi tanquam legitimo Papæ competere, Sessionis XII decretum penitus abolere.

Sæcul. XV.  
A.C. 1433.

Præterea plures aliæ, Eugenii nomine divulgabantur epistolæ, pro ipsius defensione acrius conscriptæ, quas tamen ipse aut suas esse, aut jussu suo emanatas postea negavit. Spuriæ hæc literæ directæ erant ad universos Christi fideles, in quibus earum Scriptor, quiscunque demum fuerit, totam in hac caussa rei gestæ seriem acuratus percurrit, necnon rationes, ob quas Eugenius Concilium Bononiam transtulisset, exponit, omnesque Basileensium accusationes confutat, diluitque criminationes ab eis Pontifici affictas. Demum constantiam, quam Synodi Patres in hoc rerum articulo testatam fecissent, palam redarguit, illamque potius in detestabilem pertinaciam, qua Ecclesiæ Catholicæ, Sedisque Apostolicæ auctoritatem opprimerent, degenerasse affirmat; ac ejusmodi temeritatem approbare, nefandum scelus fore, cui se nunquam assensurum, coram omnibus profiteretur, subjungens, dissensione Pa-  
pam



Secul. XV.  
A.C. 1433.

pam inter & Concilium exorta, Pontificis, non Synodi sententiam sequendam, atque illi, non huic legem imponendi auctoritatem competere, eoquod Papa in ipsa Concilia potestatem haberet, nisi forte, quæ statuenda forent, Catholicam fidem spectarent, aut si, eoquod cuncta Synodi decreta negligerentur, universalis Ecclesiæ Status perturbari timeretur, tunc quippe tantummodo Concilii voluntatem potius attendendam. Præterea Scriptor ille asserere non dubitabat, Basileenses plurimum in eo falli, quod in singulis sese Pontifice superiores jactitarent, cum id tenere hæreticum foret. Postea Principes, omnesque Christi fideles adhortantur, ut Basileæ congregatos a cæptis dimoverent, illosque ad recipiendos Papæ Legatos inducerent, eo fine, ut omnes simul unam, eamque legitimam Synodum constituentes, pia Patrum consilia debite executioni mandare valerent. Si vero, loquitur Auctor Eugenii ore, pernicacia vestra abrepti, Dei Ecclesiam scindere pergitis, ut hæctenus conati estis, tunc vos obtestor (nempe sermonem suum ad Principes, omnesque fideles convertens) ut improbis hujus Conciliabuli conatibus pro viribus resistatis, ne schisma in Ecclesia oriatur. Hoc enim vestrarum partium est, ut pax conservata floreat, nec sine Pontificis auctoritate Pseudo-

do-Synodos haberi permittatis. Hæ ta- sæcul. XV.  
men literæ confictæ esse creduntur. A. C. 1433.

## §. LXXI.

*Epistola Imperatoris ad Papam pro  
continuatione Synodi.*

Sigismundus Imperator, cum animos Conc. to. 12.  
p. 953. Et seq.  
ultro citroque acrioribus iræ motibus  
excandescere animadverteret, ac non abs-  
te mala Ecclesiæ perniciosissima inde ori-  
ri pertimesceret, ardenti studio Synodum  
tueri decrevit. Hunc in finem plures ad  
Eugenium Papam literas dedit, in quibus  
scandala exaggerat, quæ ex dissolutione  
Basileensis Synodi adeo venerabilis in  
Ecclesiam redundarent, quantumque pro-  
prio suo honori noceret: *Speramus*, in-  
quit Imperator in prima sua Epistola, in  
*clementissimo Deo nostro, quod ibidem ad  
provisionem hujus tam piæ, & sanctæ rei  
dabitur provisio salubris, & optata, quam  
ob rem vestram Sanctitatem, cui ex summi  
Apostolatus officio non minus, quam nobis,  
res illæ incumbunt, obsecramus in Deo, qua-  
tenus ipsum sacrum Concilium vestra Sancti-  
tas dignetur confovere, & augere, sicque pro-  
videre, ut illud nec dissolvatur, nec ullatenus  
protrahatur: quoniam ejus turbatio indubie  
esset totius Reipublicæ Christianæ destructio,  
hæresumque auditio; ex adverso ipsius fomen-  
tum & confortatio, profecto Catholicæ fi-  
dei*

Hist. Eccles. Tom. XXVII

H

dei

Sæcul. XV.

A. C. 1433.

Ibid. p. 955.

dei, & toti Christianismo pariet remedia ad-  
ptata.

In alia quadam Epistola ita scribit  
Rogamus, obsecramus, ac affectu majori, quam  
possumus, requirentes vestram Sanctitatem  
Domino nostro Jesu Christo, cujus res agitur,  
quatenus pensata totius Christianæ religionis  
subversione, mox remediare dignemini  
scribere & mandare Reverendissimo Prae-  
sidenti, & sacro Concilio, ut nullatenus dis-  
solvantur, sed in nomine Spiritus sancti, in quo  
congregati sunt, incepta feliciter perficiantur.  
Et si quæ vestra Sanctitas in contrarium  
scripserit, seu nunciaverit, illa protinus revo-  
cetur, eidemque Concilio favores, & omnes pro-  
motiones impendat, prout necessitas summa  
requirit. Quod nisi celeriter hoc fiat, Eccle-  
sia Dei in deterrimas conditiones prolapsa  
est, potissime in Germaniæ partibus, quæ  
jam, pro dolor! in dubioso vacillant discri-  
mine.

## §. LXXII.

Sessio decima tertia Basileensis Con-  
cili.

Tabbe Conc  
tom. 12. p.  
515.

Feria sexta undecima Septembris die  
Sessio tertia decima celebrata est, cum  
interfuere septem Cardinales, & plurimi  
Episcopi Pontificalibus suis insignibus or-  
nati. In illa, cum sexaginta dierum ter-  
minus Eugenio Papæ præfixus vix non  
expi-

exspirasset, Promotores, ut contumax de-  
 claretur, postulant. Jamjamque ad ejus  
 condemnationem procedebatur, cum ec-  
 ce! Spalatensis, & Cerviensis Episcopi  
 nomine Pontificis Synodum accedunt, &  
 terminum nondum elapsum esse conte-  
 stantur. Quibus tamen Julianus Cardi-  
 nalis reponit, male de iis, quæ agerentur,  
 instructos esse, simulque Concilii nomine  
 ab iisdem sciscitatur, num de celebranda,  
 atque continuanda Synodo Eugenii Papæ  
 mandatum secum deferrent? Hi vero,  
 cum nonnisi fidei publicæ literas exhibe-  
 rent, nec de expresso Pontificis consensu  
 testificarentur, re infecta dimissi sunt. Er-  
 go judicii acta contra Papam instruere  
 pergunt, sed insperato Baviaræ Dux, &  
 Joannes de Offenburg, quibus Sigismun-  
 dus plenam agendi facultatem dederat,  
 Imperatoris nomine hæc exponunt: Ro-  
 gavit Eugenium Cæsar, ut Synodo ad-  
 hæreret, eidemque ipse interesset, cum  
 vero Sigismundus decretum citationis a  
 Synodo contra Papam promulgatum in-  
 tellexisset, hunc cunctis viribus permove-  
 re studuit, ut Concilii decretis morem ge-  
 reret: Papa vero Cæsari in responsis de-  
 dit: neminem latere, quantum operæ  
 hucusque pro reddenda Ecclesiæ pace  
 impendisset. Pontifex itaque Synodum  
 enixe exorat, ut hæc memori animo re-  
 coleret, eique triginta dierum inducias  
 H 2                      adhuc

Sæcul. XV.

A. C. 1433.

SÆCUL. XV. adhuc concederet, has igitur ei indulgenti  
A. C. 1433. ri Imperator desiderat, ac vicissim pollicetur, quod Germaniæ Principes, Prælatos ad Synodum convocare, atque assensu suo comprobare velit, ut omnia irrita ac nulla declararentur, si forte Papa interea temporis quicquam adversus Synodi Patres attentaturus esset. Ergo Patres Cæsaris precibus expugnati, Eugenio præfatam termini prorogationem concedunt, ac de ea S. R. Imperii Electores certiores reddunt; nam & ipsi, sententia adversus Papam suspenderetur postulabant. Aliud insuper decretum tunc editum exstat, quo Patres congregatorum securitati melius consulturi, omnia, quæ contra se vel eorum bona hucusque acta aut decreta fuere, nulla esse pronunciarunt, cunctosque, quicumque suis dignitatibus aut beneficiis exuti fuerant, in integrum restituerunt.

## §. LXXIII.

*Dissidia Eugenii cum Columnensibus.*

*Nacler. gener. 48. p. 449.* Nec in Italia Eugenius Papa meliorem quam Basileæ fortuna utebatur quippe mox Regiminis sui initio compererat, Martinum V. Prædecessorem suum ingentes thesauros reliquisse, locumque in quo delitescerent, Poccio secundario ejus Cubiculario notum esse; Ergo Stephanus phane

phano Columnæ negotium dat, Poccium Sæcul. XV.  
 custodiæ manciparet. Stephanus iussa A. C. 1433.  
 exequitur, sed mandati sui limites egres-  
 sus, nimia severitate, Poccium palam car-  
 ceri includi, cunctaque ejus bona diripi  
 jubet. Eugenius indignitate facti com-  
 motus iusta in Stephanum ira excanduit,  
 eique immoderatam agendi rationem  
 acerbis admodum verbis exprobravit.  
 Hic vero correctionis impatiens, Præne-  
 stem ad Columnam Principem confugit,  
 eumque, ut Eugenium Roma pelleret, in-  
 stigmat, caussatus, Papam Columnensibus  
 infensum non modo illos assiduis exagi-  
 tare injuriis, sed & cunctos Martini V.  
 fautores opprimere velle. Columna his-  
 ce susurrantibus cedens, copias suas  
 Romæ admovet, urbem ingreditur, atque  
 atrocissimum in ea prælium committit,  
 adverso licet Marte, nam & ipse, & sui  
 confederati repressi, atque in fugam acti  
 sunt; nec tamen propterea belli flamma  
 extincta est, donec Eugenius exeunte eo-  
 dem anno inita pace bellicos tumultus se-  
 dasset.

§. LXXIV.

*Bellum a Mediolanensi Duce Pontifi-  
 ci illatum.*

Paulo post Philippus Mediolanensium Antonin. tit.  
 Dux, cum pacem cum Venetis, atque 22. c. 10. §. 2  
 Florentinis initam, pluresque urbes inde

H 3

fibi

Sicut, XV.

. C. 1433.

Blond. 3.

Uet. 5.

sibi ereptas iniquius ferret, ab Eugenio qui ejusmodi foedera rata habuit, vindictam sumere parat, forte suspicatus, Papam, utpote natione Venetum, magis patriæ amori cessisse, quam causæ justitiæ observasse. Ut ut res se habeat, id exploratum habemus, Ducem arma sua Romanæ urbi intulisse, in qua cunctos consiliis suis oppido faventes repererat. Non enim deerant, qui adversus Eugenium murmurarent, dicentes, ab eo Statum Ecclesiasticum, quem tamen sub primis Pontificatus sui auspiciis in maxima tranquillitate & optima pace compositum suscepisset, fuisse perturbatum. Conquerebant alii, felicissimam hanc quietem atque concordiam brevi maligna Eugenii indole, ejusque ambitione everfam fuisse, inde factum, addebant alii, quod plures Cardinales ab eo recederent, & Basileam peterent. Mediolanensium Dux cunctis in ditione sua civitatum Episcopos ad Synodum ablegavit, omnesque Ecclesiæ terras, paucis exceptis, adversus Eugenium concitavit, usus auxilio Francisci Sfortis Generi sui, Belliducis ingenio, manuque insignis, & Nicolai Fortebracii, qui prius sub Eugenio vexillis militaverat, eumque armis suis protexerat. Ambo igitur atrox adeo bellum intulere Italiæ, ut Eugenius resistendo impar, omnibus urbibus ab ejus fide deficientibus, non sine gra-

vitæ suæ discrimine Roma aufugere co-<sup>sæcul. XV.</sup>  
 actus fuerit. Dux Mediolanensis, ut Eu- <sup>A.C. 1433.</sup>  
 genium acriori adhuc injuria afficeret, in <sup>Vid. infr.</sup>  
 vulgus Epistolam tanquam a Basileensibus <sup>XCIV.</sup>  
 Synodo scriptam sparsit, qua se a Patribus <sup>Blond. l. 3.</sup>  
 tanquam Vicarium Generalem Concilii <sup>Dec. 5.</sup>  
 in Italia constitutum mentiebatur. Ad  
 quam diluendam calumniam Imperatoris  
 Sigismundi, Regis Galliæ, & Burgundiæ  
 Ducis Oratores suam navarunt operam,  
 & Synodi Patres a tam indigna agendi  
 ratione plane innoxios declararunt.

## §. LXXV.

*Lusitanicæ Regis obitus.*

**D**ie duodecima Augusti Ulyssippone fã *Mariana-*  
 tis cessit Joannes Lusitanicæ Rex an- <sup>l. 21. c. 6.</sup>  
 nos natus septuaginta sex, quatuor men-  
 ses, novemque dies, postquam quadra-  
 ginta octo annis, quatuor mensibus, & no-  
 vem diebus Regni habenas moderatus  
 fuerat. *Rex bonæ memoriæ* a suis nomi-  
 natus est, eoquod rebus belli, pacisque  
 tempore præclare gestis, æterna memo-  
 ria dignus haberetur. Corpus ejus re-  
 gia prorsus pompa Aliubarrotam delatum  
 est ad monasterium, quod ab ipso in mo-  
 numentum victoriæ de Castellanis partæ  
 constructum fuit. Successit Joanni Eduar-  
 dus maximus natu Filius annum ætatis  
 suæ quadragesimum secundum, agens.

H 4;

cui.



Sæcul. XV. cui numerosa proles fuit ex foecundis  
 A. C. 1433. Eleonoræ Arragoniæ conjugis suæ nup-  
 tiiis suscepta. Primogenitus erat Al-  
 phonfus, cui etiam omnium primo Lusitani, Eduardo Patre suo adhuc superstite  
 nomen *Principis* indiderunt.

## §. LXXVI.

*Sigismundus Imperator Basileam re-  
 versus.*

Cum triginta dierum induciæ Eugenio  
 Papæ ad revocandam Synodi disso-  
 lutionem datæ expirassent, Concilii Pa-  
 tres solemnem sessionem celebrare distu-  
 lerunt, proxime futurum Sigismundi Im-  
 peratoris, ut Sessioni interesset, reditum  
 præstolantes; Interea tamen die Domi-  
 nica, quæ erat undecima Octobris, in Ec-  
 clesia Cathedrali Congregationem indi-  
 xerunt, in qua Patres Epistolas Eugenio  
 perperam adscriptas, quas tamen vere ab  
 eodem Papa editas esse credebant, exa-  
 mini subijciunt; jamjamque & senten-  
 tiam in eum tanquam contumacem in  
 proxima Sessione ferre parant; cum re-  
 pente Imperatorem urbi proximum esse,  
 atque ad Synodum properare nuntiatur.  
 Illico omnes e confessu prorumpere, ad-  
 ventanti Imperatori obviam procedere,  
 atque ingenti lætitia, quam ex ejus præ-  
 sentia conceperant, eundem ad Eccle-  
 siam

fiam deducere. Quapropter ad diem octavam hac Congregatione dilata, rebusque debite dispositis Patres Sessionem quartam decimam celebrare statuunt.

Sæcul. XV.  
A.C. 1433.

## §. LXXVII.

*Decima quarta Basileensis Synodi Sessio.*

Tandem die septima Novembris habita est Sessio XIV., cui interfuit Cæsar Imperii insignibus illustris. In ea ad preces Sigismundi Eugenio Papæ rursus prorogabatur terminus ad nonagesimum diem, seu ad trimestre, ea tamen lege, ut intra hoc temporis spatium Concilio adhæreret, atque omnia, quæ adversus illud decrevisset, speciatim verò ternas illas literas mox memoratas revocaret; Præterea statutum, quod omnia ea, quæ in Synodo gesta fuere, confirmaret. Hoc si Papa facturus esset, pollicebantur Patres, se una omnes ejus pedibus advoluturos illum tanquam unicum, legitimumque Christi Vicarium veneraturos. Ut autem publicum, quod ab eo exegerant, instrumentum ab omni mala fide, fraude, & ambiguitate immune esset, tres omnino, ad quarum exemplum suam revocationem instrueret, obtulerunt formulas.

Lab. Conc.  
tom. 12. p.

523.

H 5 §. LXXVIII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1433.

## §. LXXVIII.

*Formulæ pro revocanda Synodi dissolutione Eugenio præscriptæ.*

*Id. ib. p. 524.* Omnes tamen istæ formulæ vix non in idem collimant; constanter enim urgetur Papa, ut quicquid per eum, vel suo nomine in præjudicium seu derogationem sacri Basileensis Concilii vel contra ejus auctoritatem factum, & attentatum fuisset, revocaret, atque nullum declararet, præcipue autem irritaret tres illas literas, quarum supra mentionem fecimus. Trinis his formulis Patres subjunxerunt aliam, quam *adhærens formam vocant*; vi hujus Papa se Synodo a tempore inchoationis suæ adhærere, & illius dissolutionem nullam esse profiteretur, simulque omnia, quæ in præjudicium membrorum Concilii, specialiter in Cardinales de Cypro, S. Sixti, & Firmanum decrevisset, rescinderet, eosque omnibus pristinis suis juribus restitueret. Utrum autem legitima fuerit, atque canonica citatio, Papa ipsius Concilii iudicio stare teneatur, quem adhortantur, ut puram ac rectam Concilii nil nisi utilitatem Ecclesiæ respicientis mentem veramque ejus in illum charitatem agnosceret.

§. LXXIX.

## §. LXXIX.

Sæcul. XV.

A. C. 1433.

*Papa Synodo adhærere pollicitus.*

Synodus ad hæc extrema non alia ex  
 ratione descendit, quam quia Euge- *Vid. supr.*  
 nius assiduis Sigismundi suasionibus impul- *§. XXIII.*  
 sus, sese Basileensibus Patribus ad stipula-  
 turum promiserat, dummodo illi omnia  
 contra ipsum, Cardinales suos necnon  
 adversus eos, quos nomine suo Præsidis  
 vices acturos miserat, hucusque decreta  
 revocarent; necdum enim quatuor Eu-  
 genii Papæ Præsides admittebantur.

## §. LXXX.

*Sessio decima quinta.*

Hanc ob rem Patres vigesima sexta No- *Labbe Conc.*  
 vembris, quæ erat feria quinta, de- *to. 12. p. 525.*  
 cimam quintam celebrant Sessionem, cui  
 etiam Imperator interfuit. In illa non-  
 nulla conduntur decreta, quibus sanc-  
 tum, ut Synodi Provinciales ex anti-  
 quorum Canonum præscripto quotannis  
 bina vice aut saltem semel in anno con-  
 vocentur, atque ab ipsomet Episcopo Dice-  
 cesano, nisi legitime impeditus fuerit,  
 celebrentur; hæc autem Concilia biduo  
 aut triduo, prout Ecclesiarum necessitas  
 suaserit, perdurent. Præterea statutum,  
 quod prima die, qua ejusmodi Synodus  
 cele-

Sæcul. XV. celebrabitur, sermo haberetur, in quo  
 A. C. 1433. congregati ad sectandam morum puri-  
 tatem, & vitam sancto Sacerdotij statum  
 conformem, necnon ad conservandam  
 Ecclesiasticam disciplinam admonerentur,  
 singulis diebus Dominicis, aliisque sole-  
 mnioribus festis plebs fidei doctrinis im-  
 bueretur, ac postea perlectis synodalibus  
 statutis, modus condigne Sacramenta  
 ministrandi præscriberetur, & de vita, ac  
 moribus Sacerdotum, & Clericorum so-  
 lenter inquireretur, & si qui simoniaci, u-  
 furarii, concubinarij, aut aliis quibusvis  
 criminibus obnoxii invenirentur, debita  
 correctione cohibendi essent. Revocave-  
 rant nimirum Patres avitam Ecclesiæ di-  
 sciplinam auctoritate quinti Canonis pri-  
 mi Concilii Nicæni, & Canonis II. pri-  
 mæ Constantinopolitanæ Synodi introdu-  
 ctam, quæ usque ad Concilium Gene-  
 rale (\*) sub Adriano II. celebratum per-  
 petuo vigeat.

§. LXXXI.

(\*) *Hæc Synodus non alia est, quam Conci-  
 lium Constantinopolitanum VIII, quod 5. Octo-  
 bris anno DCCCLXXXIX. inchoatum le-  
 gitur.*

## §. LXXXI.

Sæcul. XV.  
A. C. 1433.*Turcarum Legatio ad Sigismundum.*

Subidem fere tempus Amurates II. Turcarum Imperator ad Sigismundum Cæsarem solemnem Legationem decrevit, ut, postquam cum eo diu jam armis conflictatus erat, tandem perpetuæ ac firmæ pacis foedera componeret. Sigismundus Cæsareis ornamentis præfulgens hosce Legatos in Ecclesia Basileensi exceptos ad alloquium admisit; Duodeceni ex primo horum Oratorum ordine Sigismundo, nomine sui Imperatoris offerebant munera, nempe duodecim prægrandes ex auro scyphos, aureis nummis plenos, pannos auro & arte phrygia insignes, vestem auro intextam plane pretiosissimam, aliasque plures sericas, gemmis distinctas. Imperator pari, ac Regia munificentia horum liberalitatem adæquaturus, vicissim eos donis pretiosis juxta ac magnificis cumulavit: Amurates forte (ut nonnullorum opinio fert) tanto honore Sigismundum prosequeretur, vel quia ejus potentiam, postquam Romæ Imperii coronam susceperat, pertimesceret, sive demum, ut Sigismundo adeptum Imperii diadema gratularetur.

*Krantz. II,  
Saxon. 22.*

§. XXXII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1423.

§. LXXXII.

*Deputati Papam ad pacem Ecclesie  
hortaturi mittuntur.*

Eodem tempore Synodi Patres in quadam generali Congregatione alios adhuc Oratores in Bohemiam mittere decernunt, qui jam antea ablegatis operam suam jungerent, ac Bohemorum animos quoquo modo Ecclesie conciliarent. Attamen huic Legationi supersedendum judicarunt, accepto nuntio, quod aliunde cæptum negotium e sententia cederet. Igitur Patres potius propitia animi dispositione, qua Eugenium Papam Synodo adhæsurum sperabant, utendum rati, Sigismundi, Regis Gallie, & Burgundie Ducis Oratores ad illum direxerunt, ut universalis Ecclesie pacem ab eo impetrent. Hujus rei mentionem ipse Pontifex fecit in quadam epistola ad Amadæum VIII. Sabaudie Ducem data, in qua significat, pacis negotium ante Legatorum istorum adventum jam tum a se cum Basileensibus Patribus fuisse conclusum, cum Venetorum Oratores ad ipsum Cæsaris literas detulissent; fatetur tamen, se non nisi assiduis Imperatoris precibus ac suasionibus expugnatum cum Basileensibus in hanc sententiam concessisse. Hujus concordie summa est.

*Blond. 3.  
decad. 5.*

*In Amad.  
pacif. n. 7.*

Synod

Synodus omnia contra Papam, ac eidem addictos acta revocet, ejusque Præsides admittat: Eugenius vero profiteatur, Basileense Concilium esse, & hætenus legitime fuisse congregatum, ac præterea cuncta contra illud, ejusque Sectatores a se decreta pariter revocet, ac plene ejusdem statutis adhæreat. Igitur Eugenius quatuor, qui Synodo præsiderent, Cardinales selegit, ad quos Bullam Romæ decimo octavo Calendis Januarii, id est, decima quinta Decembris datam direxit, eisque nomine suo plenam agendi, cunctisque a Synodo decretis atque statutis, aut imposterum definiendis ad stipulandi potestatem concessit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1433.

§. LXXXIII.

*Bulla, qua Eugenius se Synodo adhæ-  
rere declarat.*

Præterea in eadem Bulla Eugenius proficitur, quod, quamvis Basileense Concilium legitime inchoatum dissolvitur, cum tamen ex dicta dissolutione orta sint graves dissensiones, & graviores adhuc oriri possent, ad eas evitandas declarat, præfatum Concilium a tempore inchoationis suæ legitime continuatum fuisse & esse, ac prosecutionem habere debere; & insuper cuncta ab eo decreta, atque decisa approbet, & ipsum Concilium favore prosequatur.

*In Append. 1  
Conc. Basil.  
tom. 12. p. 42.*



Sæcul. XV. sequatur; A.C.1433. Quinimo quod præfatam dissolutionem irritam prorsus & inanem esse perinde ac si nunquam facta fuisset, testaretur. Subjungit demum hæc verba: Præterea quidquid per nos aut nostro nomine in præjudicium aut derogationem prædicti Concilii, seu contra ejus auctoritatem factum, & attentatum est, & quoscunque processus contra supposita hujus Concilii, seu eos vel inchoatos irritamus, & annullamus. . . . Nos autem deinceps a novitatibus & gravaminibus seu præjudiciis inferendis ipsi sacro Concilio, vel suppositis ejus, & adhærentibus eidem realiter, & cum effectu desistemus.

Quamvis hæc Eugenii mutatio partim variis ejus adversitatibus, partim precibus ac Sigismundi consiliis adhibenda sit, nihilominus idem Pontifex in quadam Epistola Florentiis decimo tertio Calendas Martii, id est, septima decima Februarii data satis aperte testatur se de consilio & assensu venerabilis fratris Jordani Episcopi Sabinensis, & dilectorum filiorum Antonii sancti Marcelli, Francisci sancti Clementis, Angeloti tit. S. Marci Presbyterorum, ac Lucidi sanctæ Mariæ in Cosmedin, & Prosperi tit. S. Georgii & Dominici tit. S. Mariæ in via lata Diaconorum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, in hanc sententiam concessisse.

Ex hisce Cardinalibus duos, qui Sy-Sæcul. XV.  
 nodo præsiderent, selegit, nempe Jorda- A.C.1433.  
 num ab Urfinis, & Angelotum tit. S.Mar-  
 ci, quibus Nicolaum Albergatum, &  
 Petrum Albanensem Episcopum pariter  
 Cardinales adjunxit. Cum vero hi gra-  
 vibus negotiis Romæ detinerentur, eis-  
 dem Eugenius postera die decima sexta  
 Decembris Joannem Archiepiscopum Ta-  
 rentinum, Petrum Episcopum Paduanum,  
 & Ludovicum Abbatem S. Justinæ cum  
 pari potestate, quam antehac prioribus  
 concesserat, subrogavit. Eadem quoque  
 decima sexta Decembris die datis ad  
 Cardinalem Julianum literis, illum Sy-  
 nodi Præsidem, quo munere hucusque  
 functus erat, de novo constituit, ea ta-  
 men lege, ut recens missi simul cum eo-  
 dem præsiderent.

## §. LXXXIV.

*Papa Bullas contra Synodum emana-  
 tas revocat.*

Eugenius datis tot sinceræ suæ mentis, *Labbe Cont.*  
 qua Synodum approbavit, testimo- *to.12. p.529.*  
 niis necdum contentus, binas insuper il-  
 las Bullas, quibus Concilium omnino  
 nullum ac illegitimum declaravit, ex-  
 presse revocare voluit. Eadem occasio-  
 ne usus, tertiam quoque Bullam, quæ o-  
 lim sub ejus nomine divulgabatur, sepe-  
*Histor. Eccles. Tom. XXVII. I nitus*

Sæcul. XV. nitus in scio confectam testatur. Cont  
 A.C.1432. nentur in ea rationes, quibus ad dissol  
 vendam Synodum inductus fuit, Patres  
 vero Basileenses in illa acriter admodum  
 traducuntur.

*Id. ib. p. 532.* *Ut autem mentis nostræ,*  
 inquit Eugenius, *integritas, ac devotio,*  
*quam ad universalem Ecclesiam, & sacrum*  
*generale Concilium Basileense gerimus, o-*  
*mnibus constet evidenter, duas nostras lit-*  
*ras pridem in Palatio Apostolico promulga-*  
*tas, nam tertias, quæ dicuntur incipere*  
*DEUS NOVIT, cum a nobis aut de*  
*scitu nostro nunquam emanarint, licet super-*  
*fluum videatur, quod non exstat, revocari*  
*tamen quia petatum est, & ad cautelam,*  
*ullo unquam tempore apparerent, & alia*  
*quascunque, & quidquid in præjudicium so-*  
*cri Concilii, aut contra ejus auctoritatem*  
*factum seu assertum est, revocamus.*

## §. LXXXV.

*Aliorum sententia de hac Eugenii re-*  
*vocatione.*

Hæc Papæ agendi ratio quibusdam  
 probata, ab aliis eidem crimini data  
 est. Concilii Fautores inde ovantes, ac  
 veluti Pæana canentes, hanc revocatio-  
 nem velut authenticum auctoritatis Con-  
 cilio Basileensis argumentum venditant,  
 ac propterea rubore ac confusione omnes  
 illos obrui credunt, qui contra fidem  
 Acto-

Actorum hujus Concilii, & adversus A-  
postolicas Eugenii literas, Basileensem  
Synodum Acephalam, atque Schismaticam esse perhibent. Equidem absque  
omni veritatis specie ejusmodi vitium  
huic Synodo affingi videtur; nam non  
modo a Martino V., & Eugenio ejus  
successore convocata est, verum etiam  
ipse Eugenius eandem confirmavit, ap-  
probavitque, quatenus data Bulla docet:  
*Se omnia præcedentibus Sessionibus gesta,  
deincepsque gerenda pro extirpatione hæ-  
resum, pace constituenda inter Principes  
Christianos, Ecclesiæ reformatione in capite,  
& in membris approbare.* Unde inferre  
pronum est, hanc Synodum, utpote om-  
nibus ad legitimum Concilium requi-  
sitis dotatam, acephalam immerito dici.

Platina Historicus, inter ceteros a-  
crius succenset Eugenio, quod Basileen-  
se Concilium approbare non abhorruisset:  
*Eugenius, inquit, malis consiliis ductus di-  
vina, humanaque omnia perturbavit: Nam  
& populum Romanum ad arma excivit,  
& Concilio Basileensi, unde infinita mala  
orta sunt, auctoritatem dedit, approbatis eo-  
rum per literas Apostolicas decretis. Ca-  
jetanus omnium primus in oratione,  
quam in Synodo Lateranensi dixit, Ba-  
sileensi Concilio tanquam Acephalo, &  
schismatico ausus est obloqui, deinde ist-  
hæc Cajetani oratio Sessioni undecimæ*

Sæcul. XV.  
A. C. 1433.

Platin. de  
Vit. Pontif.  
in Eugen. IV

**Sæcul. XV.** Synodi Lateranensis sub Leone X. infer-  
**A.C. 1433.** ta est. At vero Cardinalis Bellarminus  
*Bellarmin. l. 3.* *de Eccles.* *milit. cap. 16.* *Basileense Concilium initio quidem fuit legi-*  
 timum: A quo tempore Eugenium deposuit,  
 & Felicem elegit, non fuit Concilium Ec-  
 clesiae, sed conciliabulum. Hæc ipsa quo-  
 que sententia communior, magisque re-  
 cepta videtur, hanc Synodum genera-  
 lem, atque œcumenicam fuisse usque ad  
 Sessionem decimam, vel prout alii magis  
 veritati congrue loquuntur, usque ad ve-  
 gesimam sextam, in qua de Eugenio Pon-  
 tificis depositione agere cæptum est. Pe-  
 normitanus egregio tractatu Basileensis  
 Concilii potestatem, ac in deponendo Eu-  
 genio causæ justitiam vindicare conatus,  
 de his tamen alibi (\*).

*Infr. lib.*  
*CVIII.*

§. LXXXVII.

(\*) Hanc animadversionem Continuator  
 non ad verbum ex lib. 2. *Histor. Conc.* fol. 417.  
 Edmundi Richerii Auctoris proscripti mutuo-  
 vit, ex quo, quanti sit ponderis, facile collige-  
 dum. Ob quæ motiva optimus Pontifex ad  
 tantam animi pusillanimitatem descenderit,  
 decreta Synodi Basileensis (quamvis semper  
 hac restrictione, quoad ea, quæ ad hæc tria  
 capita, sc. extirpationem hæresum, pacem Prin-  
 cipum, Ecclesiae reformationem spectant) appro-  
 baverit, melius ex plurimis aliis Auctoribus  
 præcipue Turrecremata, qui Synodo adfuit, di-  
 scere potuisset.

§. LXXXVI.

Sæcul. XV.  
A.C.1434.*Decima sexta Concilii Basileensis  
Sessio.*

Feria sexta die quinta Februarii in loco consueto celebrata est Sessio XVI, cui Imperator Sigismundus habitu Imperiali indutus, ac nonaginta Prælati mitris albis ornati interfuere. Per solutis de more precibus, Eugenii Pontificis literæ de approbatione Concilii, & revocatione dissolutionis ab eo decretæ recitantur. Perlatæ fuerant ab Archiepiscopo Tarentino & Episcopo Cerviensi, quibus perlectis ac examini subjectis Synodus declarat, quod Pontifex per illas omnino monitis, citationibus, ac postulationibus Synodi satisfecerit, juxta tenorem eorum, quæ in Sessione decima quarta, necnon in Formula eidem inserta habentur. Eædem epistolæ, postquam approbatæ fuerant, in acta Synodi relatæ sunt. Nihilominus Joannes Turrecremata, qui huic Concilio interfuit, ac postea Cardinalium Collegio adscriptus est, ex hisce literis nihil omnino, quod Basileensibus suffragaretur, elici posse propugnat, docetque, Papam nullatenus approbasse omnia ea, quæ Synodus decrevisset, nec se obstrinxisse ad comprobando

*Labb. Cont.  
to.12. p.528.**Turrecremata;  
lib.2. de Ec-  
cles. cap.100.*

Sæcul. XV. probanda illa, quæ Basileenses præter  
 A.C. 1434. auctoritatem cuius Synodo communem  
 sibi arrogare vellent. Verum ut hæc  
 Cardinalis sententia minus firma esse co-  
 gnoscatur, consuli poterit P. Natalis A-  
 lexander in sua Differtatione VIII. ad Con-  
 cilium Basileense (\*).

P. Alex.  
 part. 3. Sæc.  
 XV. 63  
 XVI. Hist.  
 Eccles. p. 565

## §. LXXXVII.

*Congregatio, in qua Pontificis Lega-  
 ti ad Concilium admit-  
 tuntur.*

Literis Papæ in hac Sessione a Synodo  
 approbatis, die vigesima quarta Ap-  
 rilis coacta est generalis Congregatio,  
 in qua Eugenii Pontificis Legati suis  
 quisque nominibus Synodali Collegio ad-  
 scripti fuere. Hi erant Nicolaus Cardini-  
 nalis S. Crucis, Joannes Archiepiscopus  
 Tarentinus; Petrus Episcopus Paduanus;  
 & Ludovicus Abbas S. Justinæ. Post-  
 modum jurato promittere cogebantur,  
 se Synodi honorem toto studio promo-  
 turos, ejusque decreta integra fide ser-  
 vaturos ac speciatim illud in quarta &  
 quinta Concilii Sessione conditum, quo de-  
 claratur

(\*) Paucis multa in hanc rem dixit P. Got-  
 ti in sua Theologia tom. 1. tract. 1. Ifag. q. 3.  
 §. 5., alique Doctores quam plurimi, qui de  
 hujus Concilii auctoritate differunt.

claratur quod Synodus legitime congregata Ecclesiam universalem repræsentet, potestatem immediate a Christo Domino habeat, & ipsemet Pontifex eidem in his, quæ ad fidem, extirpationem schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ pertinent, obedire teneatur. Eodem Sacramento spondere jubebantur, quod nec se singulorum vota revelare, nec insciis Deputatis a loco Concilii recedere, & demum in omnibus sanum ac salubre consilium, prout Deus, & sua cuique conscientia dictaverit, dare velint. Singuli proprio suo nomine omnia ista jurata fide sponderunt. Ceterum Patres cunctis hisce cautelis usi sunt, quod Papæ retractationem nonnisi fictam esse timerent, & Eugenium mere ad dissolutionem clam adornandam Legatos suos ad Synodum misisse suspicarentur, prout etiam comprobavit eventus.

Sæcul. XV.  
A.C. 1434.

Vide infra  
lib. CVII.  
§. LIV. &  
seq.

§. LXXXVIII.

*Sessio decima septima Concilii Basiliensis.*

Hoc juramento in Congregatione illa edito quatuor Papæ Legati ad decimam septimam Concilii Sessionem, altera die Lunæ vigesima sexta Aprilis celebratam admissi fuerunt. Intererat ipse Imperator dignitatis suæ insignibus præfulgens



Sæcul. XV  
A. C. 1434

fulgens, præter plures ac centum Prælatos, mitris ac ornamentis Pontificalibus decoratos. Legati isti unacum ipso Cardinale Juliano, qui prius præerat in hac Sessione, eodem functi sunt Præsidentum officio.

§. LXXXIX.

*Fusjurandum Legatis injunctum.*

Labb. Conc.  
to. 12. p. 539.  
Et 542.

Patres Basileenses securitati suæ firmiter consulturi, plura condiderunt Decreta, verebantur enim, ne Oratores Eugenii, si cum libera, ac independenti auctoritate Concilii Præsides forent, propositum emendandæ Ecclesiæ in membris suis valido conatu impedirent (\*), quapropter ante omnia declararunt, a præfatos Oratores in Præsides duntaxat ea lege admitti, ut dependentem a Concilio auctoritatem, nec ullam jurisdictionem coactivam exerçant, salvaque custodiant

(\*) Hanc rationem Continuator ex suo Rucherio rursus descripsit, reipsa autem Basileenses per Præsidentum auctoritatem suæ dominandi libidini, ambitioni, Et concepto adversus Eugenium odio frænum injici timebant, qui tamen experta Pontificis indulgentia potius mutuis consiliis paci, ac concordia Ecclesiæ insudare debuissent.

custodiant statuta antehac observata, Sæcul. XV.  
A.C. 1434.  
 vi quorum nihil Synodali auctoritate, ac in pleno Concilio decisum censeatur, nisi prius a quatuor Synodi Deputatis discussum fuisset; ut vero supremæ Concilii auctoritati, quam ex Pontificiorum Oratorum præsentia minime infirmatam fuisse prætendunt, plenius adhuc robur adjicerent, decernunt, quod omnia acta hujus Synodi juxta antiquam consuetudinem, quam in primis octo generalibus Conciliis observatam, impræsentiarum resuscitare intendunt, sub nomine ac sigillo ipsius Concilii expediantur.

§. XC.

*Legatorum auctoritas variis limitibus circumscripta.*

Præterea ex eadem Sessione intelligimus, Patres Basileenses sua decreta libero Pontificis Legatorum, ac præsidum judicio, ac sententiæ subdicere noluisse; nam statutum legimus, quod, si Præsides decreta a quatuor Concilii Deputationibus facta, *synodice* comprobare detrectaverint, concludendi ac pronuntiandi jus ad antiquiorem Episcopum, qui in ordine sedendi Præsilibus proximior esset, devolvatur. Ad id movebantur ex eo, quod crederent, Concilii generalis decreta ab ipsa duntaxat Synodo suam

Sæcul. XV.  
A. C. 1434.

auctoritatem derivare; jus vero Concilii præsidendi, ac sententiam ferendi, quod Pontificiis Legatis competit, mere honorarium esse, & Primatui Papæ, cujus Personam repræsentant, debitum, vi hujus tamen adeo nullam in Concilium jurisdictionem, aut potestatem ab eo acquiri, ut potius Synodus generalis, si Papa de decreto ab illa canonice constituta suam sententiam pronuntiare, ac concludere renuat, eo reclamante Præsidem sibi eligere valeat; ac denique ejusmodi decretum præfato modo conclusum obliget, & plenum suum robur obtineat. Hujus sententiæ vestigium in Synodo Chalcedonensi reperiri videtur.

Nam in dicto Concilio sub anno quadringentesimo quinquagesimo primo celebrato prælegebatur Canon XXVIII, quo Patriarchæ Constantinopolitano privilegium ipsi per tertium Canonem primi Concilii Constantinopolitani concessum asserbatur, vi cujus præfatus Patriarcha secundas honoris partes obtineret, id est, primus post Romanum Pontificem, locaretur, proin *Ponticæ Thraciæ & Asiæ Metropolitanæ soli, & prædictarum Diocesium, quæ sunt inter Barbaros, Episcopi a Sede Constantinopolitana Ecclesiæ ordinantur, convenientibus de more factis electionibus, & ad ipsum relatis.* Reclamabant vehementer Leonis Papæ Legati contra hunc

hunc Canonem, partim, quod ipsis ab-  
 sentibus conditus esset, partim, ut inque-  
 bant illi, quia Episcopi subscribere coacti  
 sunt. Cum vero hi uno ore clamassent:  
 se motu ac voluntate propria canoni ad-  
 stipulatos, ac neminem vi compulsam  
 fuisse, Canon iste, quamvis S. Leonis Le-  
 gati sese opposuissent, in eodem Concilio  
 trina vice relectus, & applaudentibus sin-  
 gulis Patribus, actis Synodalibus inser-  
 tus fuit. Quamvis ergo Papa inter quos  
 cunque Conciliis assistentes eminentiori  
 polleat auctoritate, quia per se vel per  
 suos Legatos eidem præest, decreta pro-  
 mulgat, & explicat, eorumque executio-  
 nem omnibus imperat, perperam tamen  
 inde deducitur, quod Oecumenici Con-  
 cillii potestas usque adeo a Pontificis au-  
 ctoritate dependeat, ut Synodi decreta  
 pleno jure immutare, aut rescindere va-  
 leat, prout Pater Alexander loco superius  
 citato luculenter ostendit, dicens: Quo-  
 circa Nicolaus de Cusa scribit: In Conciliis  
 universalibus concurrat in primo gradu Au-  
 thoritas ipsius Papæ per consensum cum aliis  
 omnibus ipsum Concilium celebrantibus. Vi-  
 gor nihilominus definitionis non est ab ipso  
 Primo omnium Pontifice, sed ex communi  
 omnium, & ipsius, & aliorum consensu de-  
 pendet; ut colligitur ex Epistola S. Leonis  
 ad Synodi Chalcedonensis Patres, dum ait:  
 ut & fraterna universitas, & omnium fide-  
 lium

Sæcul. XV.

A. C. 1434.

P. Alex. l. c.

Nicol. de Cu-

sa lib. 3. de

Conc. Cath.

c. 4.

Sæcul. XV. *lium corda cognoscant, me non solum*  
A.C. 1434. *Fratres, qui vicem meam executi sunt,*  
*etiam per approbationem Gestorum Synodi*  
*lium propriam vobiscum uniusse sententiam*  
*&c. (\*)*

§. XC

(\*) Continuator Historici sphaeram egrediens, Theologum agit, in reflexionis suae argumentum canonem 28 Concilii Chalcedonensis evocans, quem tamen necquidem in pluribus hujus Synodi manuscriptis Codicibus, tum graecis, tum latinis, neque in Collationibus Dionysii & Isidori exstare, ex notis Binii discere potuisset, utpote quem Anatolii fraude, & circumventione Episcopis propositum, ab eisque scriptum Beatus Leo Papa rejecit in epistola 62 ad Maximum, Epist. 51. ad Anatolium, & in aliis locis. Epistolæ autem 61 ad Episcopos Synodi Calced. ex qua illa verba: *Ut & scripta &c.* decerpfit, eadem fidelitate, quam Alexander, in fine addere quoque potuisset abundantia: *in sola videlicet fidei causa, quod scriptum est, nec omittere debuisset ista verba. Admoneo, ut Jura Ecclesiarum, sicut in Synodo Nicæna, & ab illis 318 Patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant.* Ita ex allati Concilii Calcedonensis actione V. haurire potuisset, quod vigor decretorum Synodaliū ab ipso Pontifice descendat, nam quavis Patres fidei professionem, quam conceperant, permutare obluētarentur, tamen imper-

§. XCI.

*Sessio XVIII.*Sæcul. XV.  
A. C. 1434.

**S**essio decima octava instituta est Sabba-  
to vigesima sexta die Junii absente  
Imperatore Sigismundo, qui absoluta Sef-  
sione XVII Basilea abscefferat. Patres Sy-  
nodi de novo, ac quinta jam vice decre-  
tra quartæ ac V. Sessiois Concilii Con-  
stantiensis repetunt, rati, quod omnes &  
singulos de Conciliorum auctoritate cer-  
tiores reddere, e re sua vel maxime ef-  
fet. In hac eadem Sessione Joannes Pa-  
triarcha Antiochenus tractatum a se cur-  
rente hoc anno compositum obtulit Sy-  
nodo, quo evincere conabatur, Concilii  
pote

rio & auctoritate S. Leonis, Legatis suis con-  
cessa, correctâ clausula aliam edere coacti sunt,  
denique ex frequentissimis Chalcedonensium  
Patrum acclamationibus: *Sicut Leo, ita credi-  
mus*, facile inferre potuisset, quod Patres suas  
definitiones ad doctrinam & decisionem Leo-  
nis Papæ tanquam ad lydium lapidem, non au-  
tem ad Synodi placitum examinaverint. Con-  
tradicens vertigine titubare credimus illum,  
qui relictis authenticis, universaliter approba-  
tis documentis, ex male confutis laciniis, apo-  
cryphis ac controversis factis, opinionis suæ  
argumenta depromit. Vide P. Leytam in suo  
olypeo fol. 22. & 38, & innumeros alios.

Sæcul. XV.  
A. C. 1434.

potestatem Pontifice superiore esse, propterea Eugenium non potuisse Synodum hanc dissolvere absque ejusdem consensu, sed magis illum ei obedire, ac subditum esse debere. Exstat tractatus ad calcem actorum Concilii Basileensis in appendice prima.

Conc. Ap-  
pend. to. 12.  
p. 844.

Sessio sequens usque ad mensem Septembrem protracta est, interea tamen plures actæ fuerunt Congregationes, in ea, quam decima sexta Junii celebratam novimus, Constitutio Caroli IV. Imperatoris contra violatores immunitatum Ecclesiæ aucta, & latius explicata, promulgatur, atque ad Abbates monasteriorum S. Bavonis, Gandavensis, Cameracensis, ac Sancti Petri Lovaniensis, Ecclesiarum Tornacensis, Leodiensis, & Trejectensis dirigitur. Die tertia Julii patet auctoritate Synodali Eugenii Constitutio Romæ die vigesima sexta Maji anno superiori data de veneratione Corporis Christi, & indulgentiis ejus festivitatis concessis publicata est, ac ubique observari jussa. Consuli potest D. Bailletus de festis mobilibus, qui in hanc rem discurrit.

§. XCII.

*Epistola Eugenii Papæ ad Synodum.*

Præterea die vigesima nona Junii ejusdem

CVI.

dem anni Eugenius Papa datis ad Basileenses Patres literis testatum fecit, se doloris sensum ob præteritas injurias conceptum penitus deposuisse, ac lubenti lætoque animo omnia ea, quæ circa celebrationem, ac Synodi continuationem indulisset, confirmare, nil enim sibi solemnius, quam ipsos amare ut Filios, observare ut fratres, & in Benedictionibus dulcedinis unacum illis præcipua charitate constringi, de cetero etiam de ipsis confido, quod pro ipsius Apostolicæ Sedis reverentia sese fideles ac devotos erga eam gererent, Hujus confidentiæ signum se perspexisse dicit, ex eo, quod Præsidentes suos affectu & opere ipsis conjunctos benigne receperint; Hinc enim tam se ipsum, quam Sedem Apostolicam summo solatio affici testatur in gravissimis illis angustiis, atque afflictionibus, quibus ipse non ita pridem Romæ pressus, & quarum causa urbem deserere coactus fuisset. Hæc ille in sua Epistola Florentiis ad Synodum data. Quales vero fuerint Romanæ istæ turbæ, quæ Papam fugere compulerant, percipiamus.

Sæcul. XV.  
A. C. 1434.  
Labbe Conc.  
append. tom.  
12 p 949. &  
seqq.

§. XCIII.

*Papa Romanorum seditionem evasurus Florentiam auf fugit.*

**Philippus** Mediolanensium Dux de Pontifi-

Syno-  
ii ejus-  
dem



Sæcul. XV.

A. C. 1434.

tifice vindictam sumpturus, eoquod ipso ad pacem rebus suis valde adversam cum venetis ineundam quodammodo compulsus fuisset, bellum in eum movit, & immisso valido exercitu Francisco Sfortia, & Nicolao Fortebracio Ducibus, Campaniam Romanam prædationibus vastavit, ipsum quoque Eugenium si opportunitas tulisset, capturus. Verum Pontifex medias inter adversantis fortinæ, quibus jamjam absorberi videbatur procellas tranquillum induens animus nequaquam Philippi copiis sese opposuit. Romani hac Pontificis ignavia commotac jam antehac a Columnensium facione, imo ab ipsomet Mediolanensium Principe instigati, adversus Eugenium feditionem movere, illumque capere decernunt. Ante omnia ejus Magistratus expellunt eorumque loco septem alios eligunt. Pænesta hæc rerum novitas vehementer Pontificem terruit; unde propriæ salutis consulturus, Monachi habitum induit, clam fuga discrimini sese subduxit. Romanis illum magno numero insequentibus, ægre admodum in navicula Tiberris oram attingere poterat; vix appulsa conscensa apud ostiam triremi, primo Processu, inde Florentiam delatus est, ubi omnium honorum genere exceptus in pervigilio Sancti Joannis Baptistæ adventavit eodemque tempore ad Synodum epistolam

cujus

cujus mox meminimus, scripsit. Roma-  
ni interim Palatium Pontificis diripiunt,  
Franciscum Condulmerium ipsius Nepo-  
tem, Cardinalem Venetum, & S. Roma-  
næ Ecclesiæ Camerarium in vincula con-  
jiciunt, castrumque S. Angeli obsidione  
cingunt. Quod tamen cum frustra quin-  
que mensium spatio oppugnassent, tan-  
dem in obsequium Pontificis reversi, Ma-  
gistratus a Papa creatos pristinis honori-  
bus restituunt, ac denique pacem & con-  
cordiam utrinque revehunt. Fortebrac-  
cius a quodam gregario milite trucidatus  
occubuit, Sfortia vero Ecclesiæ Romanæ  
vexillifer, ac Piceni seu Anconæ Marchio  
non nisi ad dies vitæ declaratus est.

## §. XCIV.

*Duo Cardinales a Synodo ad Papam  
ablegati.*

Basileenses Patres de tam sinistris Euge-  
nii fati, & de indignis adeo vexatio-  
nibus edocti, ad eum Cardinales S. Cru-  
cis, & S. Petri ad vincula legatos desti-  
nant, qui die sexta mensis Augusti Basi-  
lea abierunt. His negotium datum, ut  
pro viribus bellorum diffidia compone-  
rent, Provincias, & civitates ad Eugenii  
Papæ, & Romanæ Ecclesiæ, a cujus fi-  
de defecerant, obsequium revocarent, si-  
mulque falsum illum rumorem dissipa-  
rent,

*Sigonius in  
vita Nicol.  
Card. c. 14.*

*Hist. Eccles. Tom. XXVII.*

K rent,

Sæcul. XV. rent, quo Mediolanensium Dux Synodum  
A. C. 1434. sibi adversus Eugenium favere undique  
 divulgabat. Legati Florentiam delati  
 quantum adversam Pontificis vicem do-  
 lerent, testificantur, eidemque omne, quod  
 in ipsis esset, ad res suas in pristinum sta-  
 tum reducendas auxilium pollicentur.  
 aliunde enim Cardinales isti maxime  
 apud Italos auctoritate pollebant, præ-  
 sæpe Cardinalis Sanctæ Crucis, cujus pro-  
 bitas plurimum ibidem suspiciebatur.  
 Non desunt Auctorum nonnulli, qui con-  
 jiciunt, Synodi Patres studiose hunc Car-  
 dinalem sub specioso legationis obtentu  
 se amandasse, eo quod illum valde sibi in  
 quæ contra Sedis Apostolicæ auctorita-  
 tem moliebantur, adversari intelligerent.

## §. XCV.

*Sessio decima nona Basileensis Synodi.*

*Labbe Conc.* Interea temporis, cum Papa Eugenio  
*no. 12. p. 541.* Florentiæ versaretur, septima die Se-  
 ptembris, quæ erat feria tertia, habitus  
 est Sessio decima nona, in qua com-  
 plura maximi momenti negotia pertracta-  
 ta fuere, veluti unio Græcorum cum La-  
 tinis, Bohemorum reconciliatio, & Ju-  
 dæorum conversio. Priusquam vero de  
 singulis istis differere ordiamur, ut per-  
 actam de unione Græcorum notitiam asse-  
 que

quamur, rem ex altioribus nonnihil principiis deducere aggredimur, sequentes vestigia Augustini Patricii Senensis Canonici, qui totum negotium memoriæ proditum reliquit, & ingenti solertia, sincerissimo veritatis studio, necnon perspicuo ac fluïdo sermone descripsit.

## §. XCVI.

*Tractatus Synodi cum Græcis.*

Itaque præfatus Auctor testatur, jam-  
 jam a Martino V Papa agi cæptum  
 de unione Græcorum, ac mutuo utrin-  
 que consensu stabilitum, ut Imperator, &  
 Patriarcha Constantinopolitanus cum Pa-  
 triarcha Armenorum, Imperatore Trape-  
 zuntino, aliisque Prælati ac Ecclesiæ  
 Orientalis Principum Legatis ad genera-  
 le Concilium intra Italiæ fines celebra-  
 dum venirent, Martino autem e vivis sub-  
 lato, ejusmodi tractatum ab Eugenio ejus  
 successore instauratum esse: Inde Pontifi-  
 catus ejus initio Græcorum Legatos Ro-  
 mam venisse, ac post multas disceptatio-  
 nes tandem inter eos conventum, ut a  
 Sede Apostolica Legati, unacum certo  
 Doctorum numero in Orientem mitteren-  
 tur, qui Orientales ad Concilium Constans-  
 tinopolim vocarent, ibique Apostolicæ Se-  
 dis nomine de unione tractarent. Inter-  
 ea vero Græcos mentem mutasse, post-  
 quam

Sæcul. XV. quam a Basileensibus admonerentur, ut  
 A. C. 1434. potius Legatos suos Basileam decernerent, idque Græcos etiam fecisse, Joannem Palæologo tum temporis summam Imperii apud Græcos moderante.

## §. XCVII.

*Græcorum Legati ad Synodum missi.*

Ceterum Eugenius Papa, cum adhuc dum Basileense Concilium dissolvere meditaretur, Legatum suum, qui de unionis Ecclesiæ ageret, Constantinopolim quantocius mittere Græcis pollicitus est. Verum Basileenses Patres, qui unice quavis Pontificis consilia evertere conabantur, Eugenium præveniunt, & primo nomine Concilii ad eandem urbem suos decernunt Oratores, Imperatorem cum Patriarcha ad unionis negotium cum ipsi pertractandum invitaturos, eoquod ipsi in legitima Synodo congregati totam Ecclesiam Occidentalem repræsentarent, quam tamen prærogativam Legati Pontificis Constantinopoli præferre nequebant; insuper Græcis suggerunt, se solo plurimorum Principum, & præcipue Imperatoris Sigismundi potentia ac patrocinio suffultos esse, proin longe amplius sibi auxilium ab ipsis sperandum, quam ab  
 Euge

Eugenio Papa, cujus res pessimo loco si-  
tæ essent (\*).

Sæcul. XV.

A. C. 1434.

Imperator Palæologus hisce Basileensium rationibus expugnatus, solemnem Legationem ad Synodum decernit. Horum præcipui erant Demetrius Palæologus, Imperatori Sanguine junctus, Protovestiarius, Isidorus Abbas monasterii S. Demetrii, unacum Joanne Dysypato, id est, bis Consule, & Imperialis Aulae ministro. Oratores isti diversos cum Synodi delegatis congressus habebant, ac primo quidem consultationem de loco, quo utriusque Ecclesiæ Synodus celebranda esset, diuturna tenuit contentio Græcis itentidem Constantinopoli, Basileensibus vero delegatis Basileæ Synodum celebrari petentibus. Demum primo æstu ultro citroque deservescente prout quandoque pro bono pacis evenire expedit, de sequentibus articulis mutuo conveniunt.

§. XCVIII.

*Passionis capita cum Græcis.*

- I. Concilium celebretur in Occidente.
- II. Legati sincere nihil non agan

K. 3

ut

(\* Egregium sane Basileensium arrogantiæ, ambitionisque exemplum.

Sæcul. XV.

A.C. 1434.

ut Imperatori & Patriarchæ persuadeant  
 Synodum Basileæ celebrandam esse, ubi  
 jam Ecclesia Occidentalis congregata  
 subsisteret; alioquin seligatur Ancona, vel  
 alia urbs maritima, Bononia, Mediolanum,  
 aut alia civitas intra Italiam, vel Sabau-  
 diam sita, (Pedemontium indicare vo-  
 luisset videntur, nam Græci Alpes transi-  
 re constanter renuebant) si vero extra  
 Italiam quædam præplaceret civitas, fi-  
 ret Buda in Hungaria, aut Vienna in Au-  
 stria. III. Basileenses post unum mes-  
 sem a conclusa loci designatione acce-  
 dant ad urbem ab eis electam; quam peti-  
 turus quoque esset ipsemet Imperator, una-  
 cum Patriarchis, Metropolitanis, Epis-  
 copis, ac eorum, qui commode venire  
 non possent, Deputatis. IV. Ipsa Synodus  
 ministret sumptus pro itinere, mora, &  
 reditu Imperatori, Patriarchis, eorumque  
 sequacibus necessarios usque ad nume-  
 rum septingentarum Personarum. V. Bas-  
 ileenses mittant octo millia ducatorum  
 pro cogenda Constantinopoli congrega-  
 tione totius Cleri Græci, in qua Delega-  
 tos ad Synodum mittendos eligere oport-  
 teret. Item decem millia ducatorum  
 unacum trecentorum armatorum manu  
 ac nonnullarum triremium præsidio sub-  
 ministrent ad defensionem urbis in absen-  
 tia Imperatoris, cui, necnon Patriarchis  
 atque Græcorum Episcopis ubique iidem  
 exhibentur

exhibeantur honores, qui ante schisma Sæcul. XV. A. C. 1434.  
 eis fuissent delati, salvis tamen privile-  
 giis, & juribus summi Pontificis, Roma-  
 næ Ecclesiæ, atque Romanorum Impera-  
 toris.

§. XCIX.

*Græcorum Legati ad Synodum admis-  
 si; eorum pacta confirmata.*

Hæc ita utrinque conventa Concilium Labbe Conc. to. 12. p. 541. tom. 13. in actis. Patrie.  
 solemniter approbavit confirma-  
 vitque in Sessione decima nona die septi-  
 ma Septembris celebrata, in qua Græ-  
 corum Oratores cum ingenti honore ex-  
 cepti, Domini sui Imperatoris mandatum  
 obtulerunt, quo Monarcha iste omnia, &  
 singula utrinque concludenda se rata ha-  
 biturum spondit, pariter exhibuerunt  
 Josephi Patriarchæ Literas, in quibus ob  
 sincerum Basileensium Patrum deside-  
 rium, atque utriusque Ecclesiæ unionis  
 ac pacis studium summa animi lætitia se  
 affectum testatur. Græci, ut articulis  
 mox inter se conclusis majus robur ac-  
 cederet, eosdem a summo Pontifice con-  
 firmari postulant. Ergo Patres Simonem  
 Freiron Canonicum Aurelianensem ad  
 Eugenium ablegant, rogantes, ut & ipse  
 Synodi confirmationem sua quoque au-  
 thoritate roborare dignaretur. Augusti-  
 nus Patritius narrat, Eugenium, eoquod



Sæcul. XV.  
A. C. 1424.

Patres inconsulto Pontifice cuncta illa pertractare attentassent, non parum commotum, ne tamen Basileensem Synodum turbaret, conventa confirmasse, quamvis priorem sententiam de mittendis suis Constantinopolim Legatis magis commodam, utilioreque iudicasset.

§. C.

*Decretum Synodi de Judæis.*

*Labbe Conc.*  
*to. 12. p. 547.*

Præterea in eadem decima nona Sessione decretum est, ut ad Judæorum, & Infidelium conversionem efficacius procurandam, illi omnino ad audiendam Verbi Dei prædicationem compellerentur; atque, ut tam salutare consilium eo promptiorem fortiretur effectum, Synodus omnes locorum Ordinarios adhortatur, ut quosdam in S. Literis probe eruditos mitterent ad terras, in quibus Judæi, aut alii infideles degunt; ac ne tanti muneris idonei deficerent Ministri, exacte Constitutionem observari præcipit, quæ in Concilio Viennensi de necessitate Orientales linguas docendi condita fuit; quapropter duos linguarum Hebraicæ, Arabicæ, Græcæ & Chaldææ Professores in Academiis institui decernit. Innovata quoque sunt priora omnia decreta de conversione eorundem Judæorum edita, quibus Christiani ab illorum consortio abstinere

nere jubentur, librosque Ecclesiasticos, ca- Sæcul. XV.  
 lices, Cruces, aut alia Ecclesiæ ornamen- A. C. 1434.  
 ta eisdem vendere, aut pignori dare pro-  
 hibentur. Sancitum insuper, quod Ju-  
 dæi habitum, per quem a Christianis pa-  
 lam discerni valerent, deferre, ac quan-  
 tum fieri posset, in ædibus separatis habi-  
 tare cogantur: Si qui vero fidem Catho-  
 licam amplecti cuperent, bona etiam ex  
 fœnore acquisita retinere valerent, dum-  
 modo de illis, quibus de jure restitutio  
 fieri deberet, haud amplius constet. De-  
 mum Synodus impense hortatur Christia-  
 nos atque Catholicos, ut Judæorum er-  
 rores detestantibus liberali manu opitula-  
 rentur, nullatenus vero mortuos Judæo-  
 rum ritu sepelirent. Verbo, Patres ni-  
 hil omnino intermiserunt, quod ad instru-  
 ctionem, & sublevandam Neophytorum  
 inopiam conducere posset, simulque hoc  
 decretum, ne quisquam ejus ignorantiam  
 obtenderet, semel in anno per singulas  
 Ecclesias promulgari præceperunt.

## §. CI.

*Bohemorum res.*

In Bohemia Mainardus Baro de Neuhaus *Cochl. hist.*  
 Patriam suam sub duro Procopii Rasi *Hussit. l. 8.*  
 jugo gementem liberare, ac gravissimis  
 inde pullulantibus malis eripere vehe-  
 menter cupiebat; hinc clandestinis arti-  
 bus

K 5

bus

Sæcul. XV.  
A. C. 1434.

*Vid. supr.*  
§. 64.

bus vires suas augere constituit; tandem conceptum animi sui propositum Synodus Delegatis aperuit, qui & promptum eisdem auxilium promiserunt. Ergo Mainardus hac spe fretus, opus aggreditur; nihilominus, cum complures Bohemiæ principes nobilitate sibi superiores nosset, horum invidiam amoliturus, summæ reipublice præesse renuit. Inter cæteros tamen genere clarissimus eminebat quidam, nomine Wisenburg (\*) veteris admodum proficiæ, sed tenuis valde fortunæ vir, quem Mainardus per plures annos liberali manu adjuvit, ac propterea ad quævis obsequia pronum habuit. Hunc igitur Mainardus selegit, gentisque Ducem declaravit, & quamvis præter solam promptam ac fidelissimam obsequendi voluntatem nulla bellandi virtute præstaret, nihilominus eidem Belliducis (Capitaneum vocant) nomen asseruit, ipse vero imperii auctoritatem penes se retinuit.

*Naucler. gener. 48. p. 452.*

## §. CII.

*Diffidia inter Pragæ novæ & veteris Præfectos.*

Omibus hisce provide adeo dispositis

(\*) *Æneas Sylvius, & alii vocant illum Wisenburg.*

Maynardus primo civitatem Pilsenam Sæcul. XV. A. C. 1434.  
 ad excutiendum Hussitarum imperium induxit. His cognitis Thaboritæ & Orphanani illico ad arma convolant, urbem recuperaturi (\*). Procopius magnus cum alio quodam Procopio (quem parvum nominabant) junctis copiis urbem cingit. Ast ambo obsidionem, quam arctissime urgebant, solvere coguntur, exortis Rochisanam inter & Lupum diffidiis, quorum primus Thaboritarum Dux antiquæ Pragæ imperabat, alter vero Orphanorum Præfectus illi ejusdem urbis parti, quæ nova Praga appellatur, præerat. Horum jurgia ex mutua æmulatione progenita, brevi tam ampla sumptulerunt incrementa, ut munimentis utrinque erectis una pars Pragensis urbis alteram oppugnare cœperit.

## §. CIII.

*Utraque Praga a Catholicis capta.*

Comperto hoc tumultu, Mainardus ea occasione opportune usus, collecta militum manu Pragam veterem invadit, Thaboritas jam antea ab Orphanis multum

(\*) Idem observat, hanc urbem nunquam in Hæreticorum manus pervenisse, nec a fide defecisse.

Sæcul. XV. tum attritos ingenti clade afficit urbem.  
A.C. 1434. que victricibus armis expugnat. Ambo  
 Procopii funesto hoc nuntio conterriti,  
 confestim Pilsenæ urbis obsidionem sol-  
 vunt, dum vero Maynardum eodem tem-  
 pore novam quoque Pragam vi occupa-  
 rasse intelligunt, rebus suis ultimum ex-  
 cidium imminere cognoscunt. Nihilomi-  
 nus extrema tentare statuunt, ut Pra-  
 gam novam, priusquam ejus munimenta  
 a Catholicis repararentur, recuperare  
 possent. Deferebantur quidem eisdem  
 concordiae leges, ast respondent illi, se abs-  
 que nominis sui ignominia pacem in-  
 re haud posse, nisi prius a Catholicis Pra-  
 ga restitueretur, & præsidarii milites  
 unacum comœatu in Pilsenam urbem  
 non ita pridem in vecto abducerentur.

## §. CIV.

*Bohemorum clades, & utriusque Pro-  
copii cædes.*

*Nacl. gen.*  
48. 453.

*In append. 1.*  
*Conc. Basil.*  
*art. 108. &*  
*seq. tom. 2.*  
*Conc. Labb.*

Utraque hæc conditio tam insoletis, tam  
 que indigna videbatur Catholicis, ut  
 ulterioris moræ impatientes confestim  
 cum Hussitis congregari postularent. Ma-  
 ynardus suorum ardore utendum ratus  
 Hussitarum copias in castris suis fossa de-  
 aggere cinctas aggreditur, eorum muni-  
 tiones vi occupat, totumque exercitum  
 terrore turbatum fugat. Quartam jam  
 omni-

omnino horam ea pugna tenuit, in qua Pro-  
 copius major tanto furore dimicabat, ut  
 non una vice nil propius esse videretur,  
 quam ut hostium impetus Catholicis pal-  
 mam e manibus extorqueret; Tandem  
 vero ille hasta in incertum vibrata trans-  
 fossus periit; ubi Hussitarum copiae Du-  
 cis sui casu conterritæ animum despon-  
 derunt. Pari fato alter Procopius, quem  
 parvum appellabant, capite in duas par-  
 tes dissecto occubuit, quo sublato Coap-  
 cho, qui secundum a Procopio imperii lo-  
 cum tenebat, cum residua Equitatus par-  
 te Colnitium sese recepit. Reportata est  
 inclyta hæc victoria die Dominica infra  
 Octavam Festi Corporis Domini, & cum  
 in prospero hoc belli eventu omnium u-  
 tilitas verteretur, de illo protinus Sy-  
 nodi Patres, Sigismundus, ceterique fide-  
 les edocti fuere.

Mainardus hujus victoriæ auspiciis  
 fretus, fugientes insequi parum sollicitus  
 totus in hostilium castrorum expugnatio-  
 nem incubuit, omnesque, quotquot Chri-  
 stianorum gladios effugerant, Victoris  
 arbitrio se dedere compulsi. Post hæc  
 victrices copiae conveniunt, de captivo-  
 rum sorte deliberaturæ, cumque plurimo-  
 rum sententia eo abiret, ut data vitæ ve-  
 nia ad suos redire permetterentur, Mai-  
 nardus in præsentis rerum articulo inter-  
 pestivam esse clementiam ostendit, eo quod  
 potissi-

Sæcul. XV.  
 A.C. 1434.

Sæcul XV. potissima devictorum pars in Hussitarum  
 A.C. 1434. campis nata, in armis enutrita, nec  
 liam quam bellandi artem edocta, om-  
 nem ætatem in castris transegisset,  
 pessimam ergo ejusmodi gentem omnino  
 delendam esse; apertissimum quippe Bo-  
 hemiæ Regno imminere periculum, si  
 homines rei militaris periti obtenta vi-  
 venia dimitterentur, nec unquam publica  
 tranquillitati cautum fore, quamdiu inter  
 regni fines tutum concederetur receptu-  
 culum plusquam viginti millibus armato-  
 rum, furtis, rapinis, & cædibus assuetu-  
 rum, timendum quoque, ne, si conjuncti  
 vivere permittantur, sibi Ducem adopta-  
 rent, bellumque redintegrarent. Si ve-  
 ro in pagos & oppida distribuerentur, ci-  
 ves & colonos hæresis labe inficerent  
 eorumque mores corrumperent. Vixit  
 Mainardi sententia, & Catholici ejusdem  
 rationibus moti, Hussitarum pedestre  
 copias funditus delendas esse consentiant  
 hanc vero sententiam exequendi nego-  
 tium reliquerunt Mainardo, quod etiam  
 singulari sagacitate perfecit.

## §. CV.

*Mainardi artificium in Hussitis penitus  
 exscindendis.*

**H**aud ignorabat Mainardus, inter devic-  
 torum copias numerari quamplurimos

mos, qui sola militandi libidine incensi, Sæcul. XV.  
 aut necessitate coacti, Hussitarum signa A.C.1434.  
 secuti fuissent; Ad hos igitur utpote innocentes a communi reorum excidio servandos, simulque consilium suum celandum, Mainardus qua arte usus fuerit, percipiamus. Voce præconis in ea castrorum parte, ubi Hussitarum pedites inclusi detinebantur, promulgari jubet: nondum belli finem esse, fugisse Coapchonem, Colnitium cum tota Equitum cohorte intrasse, atque ibidem exercitum restaurare velle. Itaque ad præoccupandas illius machinationes unicum, idque maxime necessarium superesse medium, ut rupta omni mora armata manu cingeretur: ad hoc autem consilium fortiter aggrediendum, ac feliciter exequendum, illorum quoque requiri operam, qui in bello sub Ducis Zifchæ imperio præclara fortitudinis suæ specimina edidissent: Supremos Regni Ordines, ut luculento comprobarent argumento, quanti eos haberent, decrevisse, singulis eorum ex publico ærario stipendium dare. Ne vero sub tam nobili ac genuina Martis sobole spurii (qui vulgo *militēs subdititi* vocantur) irreperent, illi omnes in proxima sese horrea recipiant, rudes vero, bellandique minus peritos sua ruralaresque repetere cogant.

§. CIV.



Sæcul. XV.  
A.C. 1434.

§. CVI.

*Hussitæ una omnes in horreis combustæ.*

**H**ussitæ milites nimium creduli operam suam ad debellandum Coapchonen studiose delectam fuisse arbitrabantur. Ast Mainardus longe alia fovebat consilia. Cum enim Hussitæ, militibus ignavis atque imperitis a sua cohorte abesse iussis, sibi designata ingrederentur horrea, atque in eis ingenti annonæ, & vitæ copia ex composito illata liberalius se reficerent, necnon alto, gravique somno oppressi jacerent, sub mediæ noctis auspiciis Catholicorum militum cohortes, ne quisquam fuga dilaberetur, veritæ horrea circumcingunt, & omni ex parte ignem admovent. Cumque maceræ pretiosissimum ex ligno, & stramine constructæ essent, flamma brevi temporis mora omnia in cineres redegit. Hic fuit interitus copiarum, quæ a Zischa conscriptæ, ac bellicis artibus instructæ, integro vicennio opulentissimas quasque Septentrionis Provincias sæde depopulatæ sunt. Milites isti fere omnes proceritate corporis, ac insolito virium robore præstantes erant, ad laborem ac aeris injurias tartopere indurati, ut nihil firmam corporis constitutionem vincere posse videretur.

cute adeo dura, ut hæc ferrum quasi lo-  
rica repulsura crederetur, aspectu tetro,  
atque horribili, nam præterquam quod in  
vultu adustioris essent coloris, incedebant  
etiam impexo crine, Barba incompte,  
ac ad horrorem usque promissa, membris  
hispidis, & Belluarum exuviis induti.

Sigismundus Imperator, qui tunc Ul-  
mæ degebat, mox de his certior factus,  
& ipse confestim ad Synodum totam rei  
seriem perscribit, atque Oratores suos in  
Bohemiã legat, a quibus in Regem,  
utpote legitimus Wenceslai Fratris sui  
hæres proclamaretur. Cumque eodem  
tempore Delegati, quos Synodus in Bo-  
hemiã miserat, omni expectatione ci-  
tius ab Hussitici militis metu liberati es-  
sent, ac proin ingens obstaculum, quod  
Bohemorum cum Ecclesia Catholica re-  
conciliationem morabatur, submotum  
cernerent, invicto studio huic negotio in-  
fudarunt, & paucas intra septimanas il-  
lud cum communi Basileensium Patrum  
applausu ad optatum finem perduxerunt.

## §. CVII.

*Deputati a Synodo ad Conventum  
Ratisbonensem missi.*

Igitur Sigismundus Ratisbonam petit, *Æn. Sglo.*  
ubi Bohemi eum magno numero con- *Hist. Boh.*  
*Histor. Eccles. Tom. XXVII.* L ve-

Sæcul. XV.

A.C. 1434.

Sæcul. XV. veniunt, Regemque suum salutant.  
 A.C. 1434 Coapcho tamen & Rochifana unacum  
*Krantz* 11. *Wendel.* 32. *Cochl. hist.* *Hussit.* l. 8.  
 lis eo ire recusantes, seorsim venire con-  
 stituebant, de rebus suis speciatim acturi. Synodus quoque Legatos, quos in  
 Bohemiam ablegaverat, illuc misit. Imperator ea edoctus, quæ in unionis negotio hucusque communi omnium suffragio decrevissent, tam Bohemis quam Synodi Legatis haud obscura gaudii signa exhibuit, Bohemos vehementer hortatus, ut concordiae pacta jurejurando firmata constanti fide exequerentur. Refert Spondanus ex manuscriptis Collegii Navarrici actis, plures Bohemos qui unionis articulis non ita pridem cum ceterorum consensu stabilitis accederent, coram ipso Imperatore cum Synodi Deputatis fervidas de communione sub utraque specie contentiones fecisse; Hi enim Viri pertinacissimi omnino contendebant, compellendos esse etiam Catholicos Bohemos, ut & ipsi Eucharistiam, quantumvis eam non peterent, sub duplici tamen specie recipere tenerentur, quod tam a Legatis, quam ab ipso quoque Imperatore fuit eis omnino negatum; imo nequidem eis permissum una cum Catholicis Ecclesiam ingredi, & quidam ex ipsis, qui tunc Ratisbonae e vivis decessit, sepultura Ecclesiastica privatus est.

## §. CVIII.

Sæcul. XV. 2  
A. C. 1433.*Imperatoris querimonie adversus  
Synodum.*

Eorumdem Actorum fide discimus, Imperatorem coram Legatis adversus Synodum graviter conquestum esse, eo quod illa variis modis auctoritatem ejus spernere non dubitasset; inter ceteras Cæsaris querelas præcipuæ erant, quod, cum ipse in Italia ageret, Synodi Patres ad Ducem Mediolanensem scripsissent pro recuperatione Patrimonii Ecclesiæ, & non ad ipsummet Imperatorem, cum tamen Imperatores, non autem Duces Mediolanenses Ecclesiam bonis istis dotassent, suæque libertati restituissent, ac præterea querebatur, quod, cum esset ipse Basileæ, decrevisset Synodus mittere Cardinalem Cyprium, aliosque ad Papam, & quidem cuncta ista inconsulto Imperatore; Exprobrabat etiam, quod Basileenses plura negotia, causasque ad Synodi forum minime spectantes, tractare præsumerent in præjudicium Imperii, additque, se, cum suæ auctoritati debitam observantiam tribuere neglexissent, propterea recessisse a Concilio: patrocinium tamen suum Patribus ulterius impensurum, imo se ipsum proxime venturum, si Patres reformationi, ceterisque negotiis, quorum causa con-

L. 2

gregati

**Sæcul. XV.** gregati essent, sedulo incumbere vellent.  
**A. C. 1434** Exstant adhuc aliæ duæ epistolæ die vigesima octava Julii ad Synodum datæ, quibus Sigismundus, qui tum Ulmæ agebat, graviter conquerebatur, quod Basileenses in causa, quæ inter Saxonie Duces circa hunc Ducatum, ejus juræ atque onera agitabatur, alienam usurpassent jurisdictionem; Ab altero enim horum Ducum lis ista ad Synodi tribunal deferrebat: Sigismundus vero eam Imperii forum spectare contendebat, quæ propter in præfatis literis palam declarat, se contra Patrum sententiam, nisi causam penitus a se amoverent, publice reclamaturum.

## §. CIX.

*Erici Regis epistola ad Synodum.*

**D**ie quinta Julii Ericus Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ Rex pro tuenda regulæ Ordinis S. Salvatoris a S. Birgitta instituti ad Synodum perscripsit; cumque eadem de re itidem Archiepiscopi, ac præfatorum Regnorum Episcopi literas dedissent, eædem in quadam particulari Congregatione anno sequenti die vigesima sexta Martii habita recitabantur.

## §. CX.

Sæcul. XV.  
A.C. 1434.*Tumultus in Sueciæ Regno.*

Sub idem tempus Erixi regna gravissimis agitabantur tumultibus, præcipue vero Suecia, quam inhumana Præfectorum avaritia immodicis subsidiis ac ventralibus dire divexabat, consentiente tamen ipso Rege, qui bellorum, quæ diu in Germania gessit, ingentes sumptus ac damna ejusmodi exactionibus reparare conabatur, neglectis Nobilium ac populi precibus. Concitavit oppressio hæc animos, atque ad communem ferme seditionem accendit, cujus Princeps erat quidam Nobilis non adeo inclyto genere oriundus, Engelbertus nomine, qui tamen rem adeo feliciter gessit, ut totam pene Sueciam, pulsis Danis, qui rerum summæ præerant, libertati restitueret. Nichilominus hic idem biennio post trucidatus occubuit.

Krantz. 8.  
Dan. 18. &  
seq.

## §. CXI.

*Amadæus VIII. Sabaudicæ Dux  
Eremita.*

Eodem anno Amadæus VIII. Sabaudicæ Dux sanctioris vitæ studio Eremitam induit. Hic fluxam hujus sæculi pompam abjecturus, Ducatus sui Regimen

Amad. Pæ  
cif. num. 8.

Sæcul. XV. Ludovico, & Philippo filiis suis cessit  
 A.C. 1434. eisque sex Proceres ætate graves, rerum-  
 que experientia claros a consiliis dedit.  
 Ipse vero talari penula e panno rudiori  
 indutus, lato cingulo, ac baculo retorto  
 multisque nodis aspero, promissa barba  
 & capillis intonsis, ac impexis, septi-  
 ma Novembris die in locum Ripalliae  
 qui Prioratus erat, prope lacum Lem-  
 num secessit, ibidemque Ordinem mili-  
 tarem S. Mauritii erexit. Dux iste, A-  
 madæo VII. Patre suo Anno Christi mil-  
 lesimo trecentesimo nonagesimo primo  
 vivis erepto, nonnisi octavum agebat an-  
 num, soluto vero minoris ætatis impedi-  
 mento, tanta probitatis ac prudentiæ fa-  
 ma imperii sui summam moderabatur  
 ut merito gloriosum *Pacifici* nomen ad-  
 eptus esset. Sabaudiam in Ducatum  
 Anno millesimo quadringentesimo deci-  
 mo sexto erigi curavit. Ceterum Prin-  
 ceptus erat animi celsitudine clarus, justit-  
 iæ vindex, qui, cum vicinorum suorum  
 regna bellorum flammæ vix non ablu-  
 merent, in ditionibus suis amica  
 pacis prosperitatem assidue coluit, qua  
 propter sui ævi Salomon audiebat, &  
 non raro a pluribus, maximisque Prin-  
 cipibus in rebus arduis arbiter sele-  
 ctus est.

## §. XCII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1434.*Jagellonis Regis Poloniæ obitus.*

Fatis cessit Wladislaus Jagello Poloniæ *Michov. l. 4.*  
 Rex anno ætatis suæ octogesimo, re- *c. 48.*  
 gni vero quadragesimo nono. Fuit Dei *Cromer. l. 20.*  
 culta ac Religionis studio celebris, erga  
 pauperes tanta liberalitate insignis, ut ad  
 prodigalitatæ excessum degenerasse vi-  
 deretur; hinc ejus largitatem aliquando  
 Martinus V. Papa paterna objurgatione  
 cohibuit. Fertur tota vita vini abste-  
 mius nonnisi frigidam potasse, ac dies je-  
 junii solo pane, & quibusdam oleribus  
 transegisse. Nec tamen suis caruit næ-  
 vis, quos ipsi Sbigneus Episcopus Craco-  
 viensis exprobravit. Ceterum successor  
 Jagelloni datus est Wladislaus Filius na-  
 tu major, superatis quorundam Regnum  
 ambientium machinationibus, qui sub  
 obtentu minoris ejus ætatis sese oppo-  
 suerant. Die vigesima quinta Julii S. Ja-  
 cobo sacra coronatus est ab Archiepisco-  
 po Gnesnensi, cumque illius Optimates  
 negotia, regnique status rite componere  
 omni studio laborarent, eorum curis opta-  
 tus respondit successus.

L 4 §. CXIII.



Sæcul. XV.

A. C. 1434.

§. XCIII.

*Mors Ludovici Andegavensis, &  
Joannæ Neapolis Reginae.*

Obiit itidem hoc anno die decimo quinto Novembris in Calabria apud Consentiam, nullis omnino post se relictis prolibus, Ludovicus Andegavensis, filius adoptivus Joannæ Siciliæ ac Neapolis Reginae, cujus fata ingens omnium subditorum luctus excepit; eoquod totum Regnum magnam de ejus prudentia, & fortitudine spem concepisset; ipsa quoque Regina sero nimis præclaras hujus Ducis dotes agnoscens, summam ingratitudinem, qua illi mortem accersiverat, fufis lacrimis damnavit. Cujus propterea corpus nequaquam extra regnum deferri permisit, ac Nobiles de Andegavia ægre admodum ab illa impetrare poterant, ut illis cor ejus secum Andegavum transferre liceret, ad Majorum suorum sepulchra deponendum. Ipsa vero Regina haud diu Ludovico superstes vixit, nam teste Mezerajo, tribus post mensibus eandem viam ingressa, regni sui hæredem nuncupavit Renatum Ludovici Fratrem, quem tunc Philippus Burgundiæ Dux captivum tenuit. Hærerum vicissitudines in spem haud exiguum Alphonsum Arragonum Regem erigebant.

*Vid. infr.  
§. CXXVI.*

gebant, ac Regno Neapolis potiundi, nec non pristinae adoptionis jura resuscitandi consiliis favebant: Ceterum Joannæ mors primarium stipitis Andegavenfis stirpem succidit, ex qua plures alii prodiere surculi, qui Hungariæ, ac Poloniæ regna administraverant, & in quibus generis hujus posteritas per bina prope modum sæcula claruit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1434.

§. CXIV.

*Epistola Joannis Comneni ad Papam.*

Priusquam hujus anni curriculum absolvimus, recensenda est Epistola die decima octava Octobris a Joanne Comneno Trapezuntino Imperatore ad Eugenium data, in qua de vexationibus ac calamitatibus Pontifici illatis summo opere dolet. Imperatorem hac Epistola ad binas Pontificis literas, quarum una Florentiis, altera Romæ scripta fuit, respondisse conjicimus.

Labbe Conc. to. 12. p. 1011

In collect. Conc. Basil. art. 119.

§. CXV.

*Eugenius Papa a Jordano de Brice vindicatus.*

Sub idem tempus Jordanus de Brice Jurisconsultus, Consistorii Advocatus, & supremus Provinciæ Judex, sollicitan-

L 5 te

Sæcul. XV.  
A.C. 1434.

te Cardinale de Fuxo, pro afferenda Eugenii IV. electione apologiam edidit, cujus illam vindicare statuit a calumniis quibus Cardinalis Dominicus Capranica, nomine a loco Ecclesiæ quam regabat, mutuato, Firmanus dictus Pontificem petiit, ac Eugenii electionem ad summum Pontificatus apicem nullam, vel saltem dubiam esse contendit, eo quod ipse cum ceteris Cardinalibus huic electioni interesse permissus non fuisset.

## §. CXVI.

*Dominicus Capranica Cardinalis.*

*Addit. ad  
Ciacon. in  
Martin. V.*

*Comment.  
Pii II. lib. I.*

*Antonin. tit.  
22. c. 16. in  
fin.*

Die vigesima quarta Maji Anno supra millesimum quadringentesimo vigesimo quarto a Martino V. Pontifice Cardinalis creatus est, unacum aliis tribus nempe Ilerdensi Episcopo, Prospero Colonna, & Juliano Cæsarino; verum illa nominatio non nisi post obitum Martini V. id est, elapso integro sexennio promulgabatur, nec ipse antea ullis dignitatis insignibus uti permittebatur. Capranica comperto Martini Pontificis obitu Romæ appropinquans, quosdam sibi amicos præmisit, petituros, ut sibi quoque clave cum ceteris ingredi liceret, cuius sibi ac titulum tribueret nominationis suæ diploma a Cardinalibus subscriptum, vi cujus Cardinales in secreto Patrum

Sens

Senatu pronuntiati, si Martinum, antequam eorum nominatio publicata fuisset, mori contingeret, illico post ejus mortem promulgandi ad Conclave vocarentur. Verum licet Purpuratorum Collegium huic decreto subscripsisset, illudque observare jurasset, potior tamen eorum pars gravate admodum Capranicam ad Conclave admittebat, quinimo iidem ipsi, quibus postulati sui æquitas satis probata erat, eidem auctores fuere, ut in præsentibus rerum circumstantiis juri suo superfederet, eo facilius alio tempore, quæ peteret, obtenturus. Cessit Capranica horum consilio, quieta mente futuram novi Pontificis electionem præstolaturus. Vix Eugenium ad suprema Ecclesiæ gubernacula ceterorum Cardinalium suffragio vocatum intellexerat, cum quantocius ad illum quosdam sibi familiares misit, tantum honoris gradum eidem gratulaturus, simulque petiturus, ut sibi cum solitis Cardinalitiæ dignitatis insignibus, quibus a Martino V., decoratus fuisset, Romam ingredi liceret. Verum Neo-electus Pontifex, quorumdam Cardinalium Martino Papæ infensorum instigationibus faciliores accommodabat aures; tantumque absuit, ut Capranicam votis damnaret, quin econtra illum custodiæ dari meditaretur, cunctosque tam Patrimonii, quam beneficii sui fructus,

*Sæcul. XV.*

*A.C. 1430.*

*Dupin. in*

*Biblioth.*

*Script. XV.*

*Sæcul. tom.*

*XII. in 4to.*

*Baluz. Misc.*

*l. 3. p. 272. &*

*seq.*

611819

Sæcul. XV.  
A. C. 1434.

ctus, atque proventus occupari jubere. Hinc Dominicus fuga sibi consulere, & integro bimestri & amplius latebras quaerere compellitur. Interea tamen morderant, qui Eugenio insinuarent, quod si Capranica enormis adeo criminis reus ac tanta poena dignus foret, potius præscripto juris conveniendus esset. Hæc permotus Pontifex quosdam Cardinales, qui accusationis capita cognoscere destinavit; Ergo Capranica coram illis in judicium vocatur, hic vero compare renuens, ad Basileensem Synodum appellat, & ipse præsens totam rei summam non minus facundo, quam diffinito sermone adeo feliciter exponit, ut Viri sinceritas, & justitia causæ omnibus constaret. Quapropter Synodus eum legitimum Cardinalem esse declaravit, & que galero, ac ceteris dignitatis suæ ornamentis uti concessit. Hanc Concilii sententiam Capranicæ inimici ægre in modum tulerunt. Ast cum vires suas resistendo impares esse probe cognoscerent, tandem & ipsi cesserunt; Legati tamen Eugenio, honori Pontificis Dominici sui quadantenus consulturi, Capranicam, ut purpuram non nisi e manibus Papæ assumeret, rogarunt, eique, ut illum ab Eugenio reciperet, Florentias ire persuaserunt, illum omni honorum genere ibidem excipiendum spondentes. Capranica

pranica eorum verbis fidem habuit, & non multo post Florentias petiit, ubi sane non modo præclaris benevolentiae signis ab Eugenio exceptus, sed etiam Cardinalitio galero auctus est.

Sæcul. XV.  
A. C. 1433.

Nonnulli illo tempore, quo Capranica Basileæ cum Patribus Synodi agebat, electionem Eugenii IV. impugnare, eamque nullam, aut saltem dubiam proclamare attentarunt, veri speciem emendicantes ex repulsa, qua Cardinales Capranicam in conclave admittere recusarunt. Quapropter Cardinalis de Fuxo impense Eugenio Pontifici addictus, negotium dedit Jordano de Brize Jurisconsulto, ut hujus Papæ electionem ab obtrectantium calumniis vindicaret, quod etiam præstitit, & ejus lucubratio quasi quamdam exhibet consultationem, quam Canonistarum more datis responsis dilucidat, & tria hæc puncta diffuso satis calamo firmare conatur. I. Decretum Martini V., quo quatuor Cardinales, ac inter eos Capranica secreto nominabantur, nullum, scandalosum pessimi exempli, ac Ecclesiæ perniciosum esse probatur. II. Pariter irritus est nec obligat consensus Cardinalium, quo præfato decreto adstipulati sunt. III. Quantumvis hoc decretum validum diceretur, nec tamen inde valori electionis Eugenii IV. derogatur, multo minus illa propterea irrita est, quod Capra-

Sæcul. XV. Capranica exclusus fuerit. Hæc Jordanus  
 A.C. 1434. ni Brizei apologia die decima tertia Augusti  
 Anno salutis millesimo quadringentesimo trigesimo tertio  
 Aquis sextis Provincia in lucem prodiit.

## §. CXVII.

*Conventio Synodi cum Græcis continuata.*

Sub idem tempus strenue infudatum est perficiendo Græcorum unionis negotio. Attamen synodales Legati, in Constantinopolim veniunt, non sine strepore Patriarcham ultramarini itineris molestias subire minus propensum intelligunt, ac paulo post Delegati, quos Græci ad Eugenium Papam miserant, in Orientem revertuntur, comitante eos Christophero de Corona, alias Garatono, qui quidem pactis in Basileensi Synodo conventis specietenus adstipulari, re tamen ipsa ex secreti mandati præscripto illis adversari jubebatur. Hinc arcana summo executurus iussa, Synodi Basileensis Patres nec sibi invicem, nec Pontifici concordes esse divulgabat; Nihilominus Imperator cum ipsis Concilii deputatis quædam capitula erigere statuit, quibus etiam Patriarcham, ut accederet, induxit. Nominabantur quoque Viri, quibus hæc pacta perficerent, in junctum, quibus

mo ipsum etiam Concilium in hanc rem Sæcul. XV.  
 condidit decretum, quod in Orientem mi- A.C. 1435.  
 sit: Ast dum Græci in eo sequentia le-  
 gerent verba: *Synodi Patres abolita nova  
 Bohemorum hæresi, antiquam quoque Græ-  
 corum hæresin extirpare cupientes &c.* (\*)  
 Vox ista adeo vehementer Orientalium  
 offendit aures, ut, nisi prius hæc verba  
 corrigerentur, nil ultra sibi proponi per-  
 mitterent. Quapropter synodales dele-  
 gati novum decretum condi pollicentur,  
 ac de illius forma deliberant. Præterea  
 postularunt Græci, ut summus Pontifex  
 huic Concilio non modo per Legatos, sed  
 per se ipsum interesset, securitatis vero  
 literas integra fide concederet, scripto-  
 que promitteret, quod Græci Synodi ex-  
 pensis, sive unio sequatur, sive non, in pa-  
 triam reducerentur. Posthæc horum  
 synodalium Deputatorum unus Basileam  
 mittitur, qui ad Synodum Decreti ab eis  
 emendati tenorem deferret, & græcorum  
 postulata ratihaberi peteret.

§. CXVIII.

(\*) In appendice Conc. Basil. p. 176. edit.  
 Colon. hæc verba ita leguntur: *Quamobrem  
 hujus sanctæ Synodi ab initio suæ congregatio-  
 nis præcipua cura fuit, recens illud Bohemo-  
 rum, antiquumque Græcorum dissidium pror-  
 sus extinguere.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1435.

## §. CXVIII.

*Sessio vigesima Basileensis Synodi.*

*Labbe Conc.*  
*to. 12. p. 549.*

Cunctis istis interea in Oriente agitata  
Patres serio reformandæ Ecclesiæ  
capite & membris Basileæ incumbunt  
atque ideo die Sabbati vigesima tertia  
nuarii hoc anno Sessionem vigesimam  
tertiam celebrantes, potissima sua studi-  
ad eliminandos, qui hucusque in Eccle-  
siam irrepserant, nonnullos abusus im-  
pendunt, atque ea de re quatuor decre-  
ta condunt.

## §. CXIX.

*Decretum primum contra concubinarios.*

Patres primo suo decreto adversus pu-  
blicos concubinarios statuunt, I. Quo-  
cunque per duos menses post publicationem  
hujus Constitutionis in Ecclesiis cathedra-  
libus factam, fuerit publicus concubinarius,  
a perceptione fructuum suorum benefico-  
rum trium mensium spatium sit suspensus, qui  
suis Superior (non sibi suoque privato  
usui applicandos) in fabricam vel aliam  
videntem Ecclesiarum utilitatem convertat.  
II. Si a suo Superiore Concubinam dimi-  
tere monitus, eam non dimiserit, jubet hæc  
sancta Synodus, ut ipsum suis omnibus be-  
neficiis

neficiis omnino privet, & usquequo cum eis Sæcul. XV.  
per suos Superiores post ipsarum concubina- A.C. 1435.  
rum dimissionem, manifestamque vitæ emen-  
dationem fuerit dispensatum, ad susceptio-  
nem quorumcunque locorum ac beneficiorum  
sint inhabiles. III. Si post dispensationem  
recidivo vomitu ad hujusmodi publicum con-  
cubinatum redierint, sine spe alicujns dis-  
pensationis ad prædicta prorsus inhabiles  
existant. Postea vero Synodus declarat,  
quod Concubinarij publici non solummo-  
do intelligendi sint illi, quorum concubinatus  
per sententiam, aut confessionem in jure  
factam, seu per rei evidentiam, quæ nulla  
tergiversatione celari possit, notorius est, sed  
etiam qui mulierem de incontinentia suspe-  
ctam, & infamatam tenet, & per suum Su-  
periores monitus ipsam cum effectu non  
dimittit, Præterea præcipiunt Patres, ut  
præsens decretum tanquam inviolabilis  
norma ad omnes Christiani Orbis Provin-  
cias mitteretur. Si vero hi, ad quos ta-  
lium correctio pertinet, eos in Conciliis  
Provincialibus, aut synodalibus punire ne-  
glexerint, ipsimet per suspensionem vel alia  
condigna pœna severiter castigentur. Ut  
autem tanto malo efficaciori providea-  
tur remedio, Synodus adhortatur Epis-  
copos, ut ipsas concubinas aut mulieres su-  
spectas omnibus modis curent a suis subdi-  
tis, etiam per brachii sæcularis auxilium  
(si opus fuerit) penitus arcere, qui etiam ex

Hist. Eccles. Tom. XXVII. M tali

Synodi  
agitati  
clesiæ  
umbun  
ertia  
gestim  
a stud  
Eccl  
usus in  
r decr  
  
oncub  
  
rfus pe  
I. Qui  
cation  
athedro  
oinariu  
beneficio  
sus, qui  
privati  
aliam e  
uertat  
dimitt  
bet hec  
bus ho  
neficiis

1829

Sæcul. XV. *tali concubinato procreatos filios apud Pa-*  
A. C. 1435. *tres suos cohabitare non permittant.*

Cum vero criminis licentia latius se-  
 peret, eoquod quidam Clerici, etiam Ju-  
 risdictione Ecclesiastica præditi non mo-  
 do concubinarios coercere negligerent,  
 sed etiam pecuniarios ab eis quæstus  
 percipere non erubescerent, illosque in  
 tanta fæditate sordescere permetterent  
 ideo ad tollendos hosce abusus Synodus  
 ejusmodi Clericis sub poena excommu-  
 nicationis, ac *maledictionis æternæ præci-*  
*pit, ne deinceps sub pacto, compositione, aut*  
*spe alicujus quæstus talia quovis modo tol-*  
*rent, aut dissimulent.*

## §. CXX.

*Decretum II. de excommunicatis.*

*Labb. Conc.* Alterum Decretum, ut conscientis ti-  
*to. 12. p. 551.* moratis, atque anxiiis consuleretur,  
 declarat, quinam excommunicati vitandi,  
 & a quorum communione in Sacra-  
 mentorum usu abstinendum. Ipsi-  
 us Decreti tenorem exhibemus: *Ad vitandum*  
*scandala, & multa pericula, subveniendum-*  
*que conscientis timoratis statuit, quod ne-*  
*mo deinceps a communione alicujus in sacra-*  
*mentorum administratione vel receptione, aut*  
*aliis quibuscunque divinis vel extra, præ-*  
*textu cujuscunque sententiæ aut censuræ Ec-*  
*clesiasticæ ab homine, vel a jure generaliter*  
*pro-*

promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, nisi censura hujusmodi fuerit in vel contra Personam a iudice publicata vel denunciata specialiter aut expresse: Per hoc tamen, subjungit Synodus, hujusmodi excommunicatos, suspensos seu interdictos non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

## §. CXXI.

*Decretum III. de interdictis.*

Et quoniam ex indiscreta interdictorum, aliarumque censurarum promulgatione plurima evenerunt scandala, ad illa imposterum cavenda Patres in hoc tertio Decreto sanxerunt, quod nulla civitas Ecclesiastico supponi possit interdicto, nisi ex culpa talis civitatis seu Rectorum illius, quæ tamen propter culpam cujuscunque alterius privatæ personæ interdicti nequaquam possit auctoritate quacunque ordinaria vel delegata, nisi talis Persona prius fuerit excommunicata, ac denunciata publice in Ecclesia, ac rectores civitatis auctoritate Judicis requisiti, hujusmodi excommunicatum infra biduum inde non ejecerint; si vero ejusmodi Persona re ipsa fuerit ejecta, aut ad debite satisfaciendum compulsa, mox divina transacto dicto biduo resumantur.

Secul. XV.  
A.C. 1435.

§. CXXII.

*Decretum IV. de Appellantibus.*

Tandem Synodus in quarto Decretum frivolas appellationes, unice ad pro-  
telandam litem institutas exulare jubet  
statuens, quod ante decisivam, ac propriam  
judicis definitivam sententiam ad alium  
appellare non liceat; si vero ante deci-  
sitivam quisquam appellaverit, *ultra con-  
demnationem expensarum, damnorum, &  
interesse, in quindecim florenis auri de causis  
ra parti appellatæ per appellationis judi-  
cem condemnetur.* Hæc sunt, quæ in hac  
Sessione salubriter statuta fuere.

§. CXXIII.

*Novi tractatus cum Bohemis.*

*Spond. ad.* Synodus hortatu Imperatoris Legati  
*an. 1435. n. 2.* in Bohemiam decreverat, qui si fieri  
posset, integræ Bohemorum conversionis  
operam navarent. Hi igitur Deputati  
tandem Bohemiam ingressi, Mense Junio  
ac Julio Brunæ præsentate Imperatore fac-  
pius conveniunt; Rochisana etiam cetero-  
rum Bohemorum nomine articulis in  
instrumento, quod *compactata* vocabantur  
contentis stare pollicetur. Cum vero  
eorum nonnulli deessent articuli, quos opor-  
tuno necessario judicabant, hos quoque

que Bohemi concordiae libello inferere, <sup>Saecul. XV.</sup>  
 ac Basileam mittere decernunt. Nihilominus ob levissimam, quae repente exorta  
 est, difficultatem totum unionis negotium <sup>A. C. 1435.</sup>  
 abruptum fuit. Petebant enim Synodales delegati haec verba adjici: *Bona Ecclesiae absque sacrilegii reatu ab aliis usurpari non posse*, Bohemi econtra acriter ob-  
 luctabantur, ne per hanc clausulam se sacrilegos fuisse, confiteri viderentur. Ad tollendum hoc dubium, visum est Imperatori, ut quidam ex Legatis Basileam redirent ad explorandam Concilii mentem, reliquis interim Viennae in Austria expectantibus, ne Bohemorum conversionis negotium omnino derelictum, a vulgo crederetur. Ergo Polemarus mittitur, cumque redux hanc clausulam Bohemis exosam, a Synodo deletam fuisse retulisset, apud Albam regalem Hungariae urbem mense Septembri denuo conventum est; sed rebus coram ipso Imperatore magna contentione ultro citroque agitatis, tota residua anni parte optata animorum conjunctio incassum defiderabatur; tandem vero ineunte Januario sequentis anni ex communi ferme omnium sententia novus conventus Iglaviae celebrandus decernebatur, in quo totum negotium plene absolutum fuit.

*Vid. infra  
 ib. CVII.*

Sæcul. XV.

A.C. 1435.

§. CXXIV.

Renatus Andegavensis a Joanna Neapolis Regina hæres nuncupatus.

Die secunda Februarii currentis obiit Joanna Neapolis & Sicilia Regina, quinquaginta quinque annos nata multis ærumnis oppressa, variis fortuna ludibriis jactata, ac licentiosæ vitæ nevis obnoxia, in quorum expiationem nulla pompa, ignobili sepultura in Ecclesia B. Virginis Annunciatae terræ mandari voluit. Nulla vero post se prole relicta, Renatum Andegaviæ Ducem hæredem testamento scripsit, constitutis interim sexdecim Proceribus, qui, donec Burgundiæ Dux Renatum libertati restituisset, regnum administrarent. Eugenius autem Papa comperto Reginae obitu, misit confestim Neapolim, qui Proceres, populumque prohiberent; ne alium sibi constituerent Regem, quam cui ipse utpote Feudi Dominus coronam concessisset, simulque eis significarent, quantum a Papa Joannem Patriarcham Alexandrinum fore mittendum, ex quo plenius animi sui sensus percipere possent. Sed responsum est a Neapolitanis, nolle se alium Regem agnoscere, quam Renatum, quem missis illico ad Burgundiæ Ducem Legatis, liberum dimitti petierunt.

*Stammont.  
l. d. in fine.*

§. CXXV.

§. CXXV.

Sæcul. XV.

A. C. 1435.

*Renatus a Burgundiæ Duce dimis-*  
*sus.*

Verum hi Legati actum agebant, ipso Blond. l. 3.  
 Renato eorum obsequium prævenien- dec. 6. & 7.  
 te; cum enim jam antea libertatem Marian. l.  
 suam oblato lytro redimere sollicitus Bur- 21. c. 9. & 10.  
 gundiæ Duci exposuisset, se faciliori ne- Surita l. 14.  
 gotio promissam auri summam pro re- c. 24.  
 demptione sua, si liber esset, exsoluturum,  
 præstito jurejurando a Burgundo dimis-  
 sus est. Nihilominus Renatus summo,  
 quo poterat, honore Neapolitanos Lega-  
 tos excepit, verum probe gnarus erat,  
 quod non aliter quam armorum vi sibi  
 ad Neapolis Thronum aditus pararetur,  
 aliunde vero, nisi prius Burgundiæ Duci  
 datam fidem liberasset, nullatenus bellum  
 ordiri posset, hinc Legati haud amplius  
 efficere poterant, quam quod ejus conju-  
 gem Isabellam, magni animi raræque  
 prudentiæ feminam interim Neapolim de-  
 ducere permetterentur. Hæc ipsa erat  
 illa, cui Sigismundus Imperator in Con-  
 cilio Basileensi Ducatum Lotharingiæ ad-  
 judicaverat, a cujus jure eam Antonius  
 Valdemontii Comes, Caroli Ducis Lotha-  
 ringiæ frater ac Isabellæ Pater dejicere  
 nitebatur. Neapolitani illam veluti Re-  
 ginam suam unacum duobus ejus Filiis  
 Ludovico & Joanne die decima octava

M. 4.

Octo-



Sæcul. XV. Octobris magna prorsus pompa ex  
 A.C. 1435. perunt.

## §. CXXVI.

*Alphonsus a Genuensibus captus.*

Conc. Basil.  
 Append. I.  
 art. 96. to, 12.

Alphonsus Arragoniæ Rex interea tem-  
 poris in Sicilia degens, in omnem  
 regni Neapolitani occupandi occasionem  
 intentum gerebat animum; & quidem  
 sub primis belli auspiciis propitia utebatur  
 fortuna; nam, qui eidem secreto in-  
 vebant, Capuam ex insidiis occupatam in  
 manus ejus tradunt. Postquam vero cum  
 Joanne Navarræ Rege, Henrico magno  
 Ordinis S. Jacobi Magistro, & Petro in-  
 fante horum fratre Cajetam obsidione ag-  
 grederetur, Genuenses in urbis hujus ad-  
 xilium accurrentes, Alphonsum ad præ-  
 lium provocant, dimicant, & victoriam  
 reportant, Arragoniæ Rege capto, ceteris  
 fuga salutem quærentibus. Pugnatum  
 est die quinto Augusti decem hora-  
 rum spatio navali certamine, in quo Bla-  
 sius Alleretus Genuensium classis Præfe-  
 ctus, cum Alphonsi copiis tam militum  
 quam navium numero longe impar esset,  
 rara miræ fortitudinis, ac invicti animi  
 sui specimina dedit.

§. CXXVII.

## §. CXXVII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1435.*Alphonsus a Duce Mediolanensi dimissus.*

Alphonsus captus ad Ducem Mediolanensem adducitur, sed paulopost ab eodem unacum ceteris Principibus parifato obnoxiiis, amplissimis etiam muneribus auctus libertati redditus est. Verum Mediolanensis Dux intempestiva hac munificentia sua Genuæ imperium amisit; Genuenses enim, quod eos ad auxilia Arragonensibus & Catalonis eorum hostibus ferenda compelleret, Ducis jugum excutiunt, & occiso gubernatore sese in libertatem asserunt, præcipuo hujus facinoris auctore Francisco Spinola, qui nuperrime ob strenue defensam contra Alphonsum Cajetæ urbem magnam nominis sui famam sibi conciliabat.

## §. CXXVIII.

*Ducis Mediolanensis consilia de Pontifice capiendo.*

Dux Mediolanensis, cum Eugenium Papam plena Florentiis liberate frui, ægerrime ferret, eundem captum abstrahere aggreditur, moxque emissarios suos destinat, Bartholomæum Novariensem Episcopum, & Nicolaum Piccininum exercitus sui Ducem, qui Pontificem,

M 5

dum

Sæcul. XV.  
A. C. 1435.

Blond. 3.  
dec. 6.

dum extra Florentiæ muros ad loca  
amoeniora ambulatum iret, ex insidiis  
caperent. Verum conjuratione detecta  
Episcopus Novariensis vitæ gratiam, quæ  
indignus omnino fuerat, nonnisi precibus  
Cardinalis S. Crucis ægre admodum obti-  
tinuit, postquam criminis sui reatum pu-  
blice confessus, in pleno Patrum consilio  
Papæ clementiam exorabat, quem post  
paucis die præfatus Cardinalis iter in Galliam  
arripiens, ad Ducem Mediolanensem dis-  
cessit. In hoc rerum discrimine Sfortia Pon-  
tificis, Veneti autem & Florentini Dux  
Mediolanensis partes adversus Piccin-  
num tuebantur, donec conciliatore Nicolo  
Marchione de Ferraria pax conclusa  
esset ineunte mense Augusto, priusquam  
Dux certior fieret victoriæ de Arra-  
gnis partæ, quam, si rescivisset, vix  
quam ad pacem animum appulisset.

§. CXXIX.

*Pax opera Pontificis & Synodi a Bur-  
gundo inita.*

Tandem bellorum flammæ, quæ tam  
diu furore maximo Galliam devasta-  
bant, feliciter extinctæ sunt, opera sum-  
mi Pontificis, & Concilii, quorum precibus  
Burgundiæ Dux multum ab inveterato  
remiserat odio, tot Regni calamita-  
tibus tandem commotus. Burgundus  
prima

prima hujus concordiae fundamenta jam anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo tertio jecerat, Amadæo Sabaudiae Duce præprimis operam navante, ut Burgundum inter & Carolum VII Galliarum Regem pro Ducatu Burgundiae, & Nivernensi comitatu ex una parte, ex altera vero pro Borboniensi, Lugdunensi, Belloioviensi, & Forensi Provinciis induciæ decernerentur. Hæc ipsa pacis exordia habito apud Nivernates colloquio inter Carolum Borbonium & Burgundiae Ducem, qui sibi hujus Sororem desponsaverat, majora cæperunt incrementa; ambo enim Principes compositis primum domi rebus suis, ad tractanda quoque publica regni negotia animum adjiciunt, & Atrebatum conventum agere constituunt, de mediis deliberaturi, quibus solidam denique pacem inter utrumque Galliae & Angliæ Regem, necnon inter Carolum VII & Burgundiae Ducem procurarent. Quocirca hanc in rem epistolas ad Synodum Basileensem expediunt, quarum prima a Burgundo die Sabbati vigesima sexta Martii, altera vero a Rege Galliarum pariter die Sabbati vigesima tertia Aprilis data est, atque in utraque a Synodo aliquos Cardinales & Prælatos decerni postulant, quorum opera facilius res confici posset, ac Franciæ Rex a Concilio nominatim Cardinales Cyprium, & S. Pe-

Sæcul. XV.  
A.C. 1435.

*In Append. I.  
Conc. Basil.  
tom. 12. art.  
48. & 85.*

Sæcul. XV. S. Petri ad vincula, ab Eugenio autem  
 A. C. 1435. Pontifice Cardinales S. Crucis & Atr  
 batensem efflagitavit. Dux vero Bur  
 gundiæ nullum speciatim postulavit.

## §. CXXX.

*Conventus Atrebatensis pro pace inter  
 Reges Galliae & Angliæ, ac Du-  
 cem Burgundiæ.*

**H**is e sententia compositis, Atrebat  
 conventus agitur, numero, ac congre  
 gatorum dignitate in tota Gallia omnibus  
 retro sæculis longe celeberrimus. Inter  
 erant totius Christiani orbis Principum  
 Legati, Papa quoque & Synodus, suo quis  
 que nomine Oratorem ablegabat, atque  
 insuper hospitiorum metatoribus injun-  
 ctum, ut pro decem millibus equorum  
 opportuna loca seligerent: A summo Pon-  
 tifice cum munere Legati missus aderat  
 Nicolaus Albergatus Cardinalis S. Crucis  
 qui jam olim huic pacis negotio totis vi-  
 ribus insudabat. A Synodo mittebatur  
 Hugo Cardinalis Cyprius, quorum uter  
 que magno præterea Episcoporum, atque  
 Theologorum stipabatur comitatu. Re-  
 gis Franciæ vices subiere Borbonii Dux  
 Comes Richemundus Franciæ Connesta-  
 bilis, Comes Vindocinensis, & Archie-  
 piscopus Rhemensis Cancellarius Regni.  
 Nomine Regis Angliæ Legatos agebant  
 Cardi-

Cardinalis Wicestrensis, seu Viconiensis, Sæcul. XV.  
 Archiepiscopus Eboracensis, ac nonnulli A. C. 1435.  
 Comites. Dux ipse Burgundiæ, cujus \_\_\_\_\_  
 Dominio urbs dicta parebat, unacum Du-  
 ce Gueldriæ, pluribusque Comitibus, &  
 Cameracensi, Atrebatensi, ac Leodiensi  
 Episcopis interfuerat; necnon Legati Si-  
 gismundi Imperatoris, Regumque Cypri,  
 Lusitaniæ, Siciliæ, Hispaniæ, Navarræ,  
 Poloniæ, Daniæ, Ducumque Britanniæ  
 & Mediolani, ac ditionum Philippi Bur-  
 gundi, necnon Universitatis Parisiensis,  
 atque urbium præcipuarum Oratores.  
 Solemni huic Conventui die sexta Au-  
 gusti datum est initium.

## §. CXXXI.

*Atrebatensis pacis Conditiones.*

Præprimis pactum erat, ne Burgundiæ  
 Dux, exclusis Anglis, pacem iniret,  
 dummodo hi æquis conditionibus stare  
 non recusarent. Hugo Metensis Archi-  
 diaconus Basileam redux in quadam Con-  
 gregatione Generali die decima quinta  
 Novembris celebrata in Synodo perorans  
 retulit, oblatis pluribus hinc inde Regum  
 conditionibus, tandem utrinque conven-  
 tum esse, ut Anglus sibi servaret Domi-  
 nium in Aquitanniam totumque Norman-  
 niæ Ducatum, juramento tamen fidelitatis Monfivilet.  
 prius præstito secundum formam a Regiis 2. vol.  
 Legati

Sæcul. XV.  
A. C. 1435.

Legatis traditam: Franci autem retinerent id totum, quod possedissent in Regno, a vero lege, ut civitates atque ditiones quæ in alterutrius regione sitæ essent, a tollendam imperii confusionem invicem commutarentur. Ex eadem hac Metensis Archidiaconi relatione discimus, a Legatis Concilii instanter admonitos fuisse Anglos, ut oblatas Caroli Regis conditiones, utpote æquissimas acceptare non dubitarent: ab his vero de prætensis suis iuribus nihil omnino remissum: hinc factum, ut Dux Burgundiæ ab Anglis deficeret, & postquam a Cardinale S. Crucis auctoritate Sedis Apostolicæ ab omni juramentorum ac conventionum cum Anglis interitarum vinculo solutus fuisset, seorsim concordia suæ leges conscriberet. Eodem Cardinalis Cyprius, eo quod Synodus Legatus esset, præ Cardinale S. Crucis Ducem absolvendi jus sibi arrogabat, sed petiti hujus nulla habita est ratio. Jam præcipuos hujus concordia articulos summatim percipiamus.

§. CXXXII.

*Articuli hujus concordia.*

**R**ex præprimis per suos Legatos negabat, quod se volente, aut sciente Burgundiæ Ducis Pater fuerit occisus, testabatur vero, quod semper hanc cædem sum-

summopere detestatus sit. Quinimo Rex Sæcul. XV.  
 omnes, quotquot hujus sceleris auctores A. C. 1435.  
 Dux Filius ejus sibi nominaret, perseque-  
 tur, digna poena plectendos: Si vero hos  
 comprehendendi copia defit, eosdem to-  
 to suo regno sine spe veniæ proscribet,  
 nec unquam eis gratiam concedet. In-  
 super spondet, se pro anima occisi Ducis,  
 Domini de Novalia, & ceterorum om- Labbe Conc:  
 nium, qui occasione harum turbarum in- to. 12. app. I.  
 terfecti fuissent, Monterigoli in loco, in ad Conc. Ba-  
 quo dicti Ducis corpus sepultum jacet, fil. art. 6. &  
 Sacellum ædificaturum, supra pontem in 7. p. 805.  
 loco occisionis Crucem erecturum, & tan-  
 dem in vicinia conditurum monasterium  
 pro duodecim Carthusianis, in quorum  
 Ecclesia prope Divionem anniversaria so-  
 lemnia *de requiem* quot annis celebraren-  
 tur. Rex quoque se obstrinxit, quod  
*summam quinquaginta millium veterum scu-*  
*torum, sexaginta quatuor pro marcha, & vi-*  
*ginti quatuor carato* soluturus sit in com-  
 pensationem mobilium, ac rerum, quæ  
 Joanni Duci, dum per insidias necaretur,  
 ablata fuere. Insuper concessit, ut Dux  
 ejus Filius per omnes vitæ suæ dies liber  
 esset ab omni tributo Regi ob terras a co-  
 rona Galliæ receptas pendendo, eidem-  
 que fidem dedit, quod, si occasione hu-  
 jus tractatus Angli Ducem aggrederen-  
 tur, non modo ei tunc succurreret, sed et-  
 tiam jam nunc omnibus foederibus cum  
 Ducis



Sæcul. XV.  
A. C. 1435.

*Oliver.  
March. l. I.  
c. 8.*

Ducis hostibus sancitis renuntiare, neque cum Anglis, sine Ducis interventu pacem unquam inire vellet. Ditiones vero, quas Dux in Galliis possidebat, Carolus VII Galliarum Rex eidem reliquit, ut eas tamquam ejus hæredes sive masculi sive foeminae possiderent, nimirum, Comitatum Morisconensem, & Antissiodorenses, Toparchiam S. Gengulphi, Balliviatum S. Laurentii, Castellanam Satrapiam de Barro ad Sequanam; Præterea in pignoris obligationem pro summa quadringentorum millium aureorum bina solutione munerandorum eidem concessit beneficia Peronæ, Raugæ, & Mondiderii castellanecnon urbes ad Somonam fluvium sitas S. Quintinum, Corbiam, Ambianum, Abbatisvillam, plures alias, præter Pontivensem Comitatum, qui cis & ultra præfatum flumen protenditur. Præter hæc Comitatum Bononiensem Duci ejusque Filiis attribuit possidendum, ita ut ex illo, cum cæterisque prædictis terris omnia & singula jura, vectigalia, tributa, & gabellas cum omnibus redditibus, qui ex causis justitiæ, regalium, vel aliunde proveniunt, percipere valeant. In eodem pacis tractatu conventum, quod Burgundiones imperatorum non adstringerentur crucem S. Andreae deponere, etiamsi in ipso Regis exercitu stipendia mererentur. Porro hæc pacta ab alterutro infringi contingeret.

geret, alterutrius Principis subditi a fi-  
 dei sacramento absoluti censeantur, jun-  
 ctisque viribus eum, qui pacem violavit,  
 adoriantur. Concludebant denique hunc  
 in modum: *Ex parte Regis fiant obligatio-  
 nes & submissiones tangentes intentionem  
 præsentis tractatus in manibus Papæ & Con-  
 cilio sub pœnis excommunicationis, aggrava-  
 tionis, reaggravationis, interdicti in terris  
 suis, & dominiis, & alias ulteriores, ad quas  
 censuræ Ecclesiasticæ se potuerint extendere,  
 item & cum hoc faciet Rex, tradet sigilla  
 Principum, & Dominorum sui sanguinis, &  
 Regni Procerum, & aliorum nobilium Ec-  
 clesiasticorum, & villarum.* Hæc pacta  
 die vigesima prima Septembris, jureju-  
 rando in manibus Cardinalium S. Crucis,  
 & Cyprii, Papæ & Synodi Legatorum  
 præstito fanciebantur. Ut autem hæc  
 ipsa pacis ac concordiæ foedera eo fir-  
 mius constarent, adjecta fuere futuri con-  
 jugii vincula Catharinæ Regis Filiae cum  
 Carolo Filio Ducis Burgundiæ, Carolo-  
 regii Comite, ea tamen lege, ut Rex Fi-  
 liæ suæ centum aureorum millia in do-  
 tem daret. Cum vero nobile hoc Spon-  
 sorum par teneræ admodum esset ætatis,  
 primum elapso quadriennio Catharina ad  
 conjugale thorum Burgundiæ Duci tra-  
 dita est.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1435.

Joan.  
 Chart. Hist.  
 Carol. VII.  
 ad hunc ann.

## §. CXXXIII.

Hist. Eccles. Tom. XXVII.

N

Sæcul. XV.

A. C. 1435.

§. CXXXIII.

*Angli ob prædictam pacem Duci graviter indignati.*

*Polydor.*  
*l. 23.*

Promulgata ubique pax universis Francis summum gaudium attulit, ringentibus econtra ultra modum Anglis, qui ibi circo non sine stomacho Burgundiæ Ducis Legatos, probris ac contumeliis oneratos remiserunt, perjurum ac foedifragum eorum Dominum criminantes, eoquod concordiae cum Carolo VII. initæ subscribere, do, fœdera cum ipsis antehac icta perinde violasset. Unde cunctos Burgundi subditos mercaturæ, aut aliorum negotiorum causa in Anglia existentes, tota insula expulerunt.

§. CXXXIV.

*Ducis Bedfordiæ & Reginæ Caroli VII Matris obitus.*

Sub idem tempus maximo rei Anglicæ detrimento, mortuus est Dux Bedfordiæ Regis Angliæ patruus, & Franciæ administrator: Eo enim sublato non nisi Viri feroces, stolidi, atque a sana agendi ratione ac prudentiæ legibus alieni infauso prorsus fato rerum summam gerebant. Interea vero Galli admotis scabulis Deppæ mœnia transcendunt, urbemque occupant. Magnanima Victorum comitatus

tas, qua sibi incolas ubique devinciebant, Sæcul. XV.  
 brevi in horum animis pristinum in Gal- A. C. 1435.  
 los affectum refuscitabat; quocirca illi  
 exiguo temporis intervallo omnes Cale-  
 tensis agri urbes prospero Marte recupe-  
 rabant.

Itidem fatis functa est ultima die Se-  
 ptembris hoc anno Lutetiæ Parisiorum  
 in Palatio S. Pauli Isabella de Bavaria,  
 Regina, & Caroli VII. Mater, quæ Mari-  
 to suo orbata atque ab omnibus regni cu-  
 ris semota ad magnam dejecta est ino-  
 piam; insuper haud immerito Gallis om-  
 nibus invisa, atque ab ipsismet Anglis  
 despectui habita, adeo, ut illi defunctæ ca-  
 daver, ne funebris pompæ sumptus susti-  
 nerent, in quadam parva scapha nonnisi  
 sub quatuor Personarum comitatu ad Ec-  
 clesiam S. Dionysii transferri curarent.  
 Nonnullorum testimonio discimus, Isabel-  
 lam ex immodico tædio, ac animi ægri-  
 tudine exspirasse, eoquod Angli ipsa  
 præsentem, Carolum Regem ejus Filium  
 ex illicito concubitu ab illa susceptum fu-  
 isse, acerbo admodum sarcasmo effutire  
 attentassent, sunt tamen, qui referunt,  
 eam nimio, quod ex nuncio foederis Gal-  
 los inter & Burgundum initi hauserat,  
 gaudio perfusam fatis cessisse.

Sæcul. XV.  
A. C. 1435.

§. CXXXV.

*Sessio XXI. Basileensis Concilii.*

Ceterum Basileensis Synodus die noni Junii Sessionem vigesimam primam celebrat, in qua Patres morum correctioni assiduo studio incumbentes, ut Concilii Constantiensis menti exacte inhaerent, necnon juxta salubria ejusdem Synodi præscripta corruptelis obviarent, statuunt, ne in Curia Romana pro electionibus, provisionibus, collatione, institutione aut investitura impostero aliquid solberetur, aut exigeretur, nec ultra quicquam peteretur ratione sigilli, annatarum, servitorum &c. de quocunque beneficio. Ad pleniorum vero horum notitiam in mentem revocare oportet, quæ superius in Sessionem quadragesimam Concilii Constantiensis adduximus, ubi octodecim articulos a Patribus præscriptos memoravimus, quorum executio tum ad revocandam saniorum doctrinam, tum ad restitutam totius Ecclesiæ disciplinam futuro Pontifici demandabatur.

*Vid. l. CIV.  
§. LXX.*

§. CXXXVI.

*Decretum Synodale contra Annatas.*

*Tabbe Conc.  
tom. 12. p.  
552.*

*Sacrosancta generalis Synodus Basileensis Spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, in nomine Spiritus*

*Spiritus sancti statuit, quod tam in Curia* Sæcul. XV.  
*Romana, quam alibi pro, seu in confirma-* A. C. 1435.  
*tione electionum, admissionum, postulatio-*  
*num, præsentationum, provisione, collatione,*  
*dispositione, electione, postulatione, præsen-*  
*tatione, etiam a laicis facienda, institutione,*  
*installatione & investitura, de Ecclesiis etiam*  
*Cathedralibus, & Metropolitanis, monasteriis,*  
*dignitatibus, beneficiis, officiisque ecclesiasticis*  
*quibuscunque, necnon Ordinibus sacris, &*  
*Benedictione ac pallio de cætero nihil peni-*  
*tus ante vel post exigatur ratione literarum*  
*bullæ sigilli, annatarum communium, & mi-*  
*nutorum servitorum, primorum fructuum,*  
*deportuum (\*) aut sub quocunque alio titu-*  
*lo, colore, vel nomine, prætextu cujusvis con-*  
*suetudinis, privilegii vel statuti, aut alia qua-*  
*vis caussa vel occasione, directe vel indirecte,*  
*solum Scriptoribus, Abbreviatoribus, & re-*  
*gistratoribus Literarum, seu minutarum, pro*  
*iporum labore competenti salario solvendo.*  
*Huic autem sacro Canoni, si quis exigendo,*  
*dando, vel promittendo contraire præsum-*  
*pserit, pœnam incurrat adversus Simonia-*  
*cos inflictam, & in ipsis dignitatibus ac be-*  
*neficiis taliter obtentis, nullum jus ac titulum*  
*acquirat. Obligationes quoque, promissiones,*

N 3

&amp;

(\*) Indicatur jus illud, quod Galli DE-  
 PORT vocant, quod idem est, ac jus caduci ex  
 sacerdotali prædio. vid. cap. suscepti Extrav.  
 de elect.

Sæcul. XV. *Et censuræ ac mandata, Et quicquid in pro-*  
A. C. 1435. *judicium decreti hujus fieri continget, nullis*  
*obtinere vires, atque irrita censeantur. Et*  
*si (quod absit) Romanus Pontifex, qui pro*  
*cæteris universalium Conciliorum exequi, &*  
*custodire Canones debet, adversus hanc Syn-*  
*tionem aliquid faciendo, Ecclesiam scandali-*  
*zet, generali Concilio deferatur. Ceteri ve-*  
*ro pro modo culpæ juxta canonicas Sanctio-*  
*nes per suos Superiores digna ultione puni-*  
*tur. Hoc decretum eo tempore, quo*  
*Concilium, etiam fatentibus ipsis adver-*  
*sariis, Generale ac legitimum censebatur,*  
*conditum fuisse constat.*

## §. CXXXVII.

*Legati Pontificis huic Decreto obstre-*  
*punt.*

**D**ecreti hujus de Annatis promulgatio-  
 ni pro viribus sese opponerant E-  
 genii Pontificis Legati, nempe Archi-  
 episcopus Tarentinus, & Patavinus Epis-  
 copus, graviter conquesti, illud Pontifice  
 inconsulto & spreto Cardinalium, aliorum-  
 que, quorum interesset, judicio confe-  
 ctum; quocirca publice contestabantur,  
 hoc decretum iniquum prorsus, atque Ec-  
 clesiæ Romanæ præjudiciosum esse, cum  
 Annatæ, & minuta, ut vocant Servitiæ,  
 absque ulla Cleri, vel cujusquam Synodi  
 Generalis oppositione, diuturno admo-  
 dum

dum tempore summis Pontificibus per-<sup>ſæcul. XV.</sup>  
 ſolutæ fuiſſent, earumque abrogatio Pon-<sup>A. C. 1435.</sup>  
 tificem, ejuſque curiam ad turpiſſimam  
 inopiam deprimeret, ſimulque arma, qui-  
 bus Hæreticorum inſolentias frangeret,  
 ex ejuſ manibus extorqueret. Nihilomi-  
 nus Synodus inſuperhabitls his rationi-  
 bus decretum publicavit, quod ab omni-  
 bus Concilii Patribus unanimi voto acce-  
 ptatum, a Juliano Cardinale Synodi Præ-  
 fide confirmatum fuit (\*).

§. CXXXVIII.

(\*) *Facile ii, qui Baſileenſis Concilii acta ſine  
 partium ſtudio pervolvunt, deprehendere valent,  
 Baſileenſes prætenſum reformandæ Eccleſiæ Ze-  
 lum potiſſimum in deprimendâ ſummi Pontificis  
 auctoritate conſtituiſſe; iisdem quoque ſtimulis  
 Continuator noſter videtur agitatſus, dum ſolli-  
 cite adeo etiam minima, quæ ejuſmodi depreſſio-  
 nem ſapiunt, recenset, & additis ſuis reflexioni-  
 bus extollit. Optandum tamen, ut, qui in cete-  
 ris adeo fideliter Spondanum Galliæ Episcopum  
 ſecutus eſt, tanquam ſeverum veritatis aſſertorem,  
 quæ de Baſileenſium intentione ſcripta reliquit,  
 ſilentio non præteriſſet; Lectori haud ingra-  
 tum fore arbitramur, ſi digniſſimi hujus Præſulis  
 verba huic Libro inferamus: Quod tamen  
 (ſcilicet Decretum de Annatis) Baſileenſes hoc  
 tempore non aliquo pietatis, aut juſtitiaæ Zelo,  
 quo alias res commodius tractari potuiſſet, con-  
 ſtituiſſe.*



Sæcul. XV.  
A. C. 1435.

§. CXXXVIII.

*Hoc Decretum ad Papam missum.*

*Append. I.  
Conc. Basil.  
to. 12. Conc.  
Labbe.*

Ergo Decretum hoc ad Papam Eugenium Florentiis agentem, suisque calamitatibus misere pressum transmittitur. Ablegat Synodus Joannem de Bachenstein SS. Canonum Doctorem, qui illius nomine Pontificem rogaret, ut præsen decretum ratum haberet, atque executioni daret. Hic itaque Eugenio exponit Annatas non nisi ex causa cujusdam expeditionis in terram sanctam introductas indeque earum originem repetendam nunc autem cessante causa, exactiorem quo-

stituisse, sed sola mente Pontificem ad ea, quæ vellent, cogendi, & Sedis Apostolicæ auctoritatem deprimendi Pontificii vel ex eo consistare querebantur, quod id tunc maxime cogendum suscepissent, cum viderent Eugenum Roma exactum, Patrimonio omni Ecclesiæ ubique ab hostibus spoliatum, tantumque non officium mendicantem. Qui & non alia conditione subventuros se ei pollicebantur, quam si prius decreta Synodi approbasset, & se ei submississet. Quid vero non boassent, si in sui tali necessitate subsidium novum aliquod onus Ecclesiæ imposuisset, ut sæpe ab aliis factum est absque tot tumultuosis clamitationibus? Sane si ver-

quoque earum cessare. Addebat, dictas Sæcul. XV.  
 Annatas hucusque exactas in alios usus A. C. 1435.  
 fuisse conversas, quam in quos indictæ  
 fuissent. Postmodum recensēbat mala,  
 quæ inde in Ecclesiam redundarunt, nempe,  
 plures Prælatos, ob non solutas Annatas,  
 censuris Ecclesiasticis innodatos obiisse,  
 & sepultura Ecclesiastica privatos, alios  
 etiam libros, calices, reliquiarum thecas,  
 & Ecclesiarum ornamenta vendere coactos  
 fuisse. Concludebat denique, Synodum  
 omnino procuraturam ut honestiori modo,  
 quam per Annatas summi Pontificis ac  
 Cardinalium necessitatibus provideretur.  
 Satis verbosæ Bachensteinii orationi  
 Eugenius paucis reposuit: *Quia materiæ  
 grandes sunt, & discussione*

N 5

rum loqui liceat, quis convenientior unquam  
 modus excogitari potuit, quo regna, & Pro-  
 vinciæ, ipsæque Ecclesiæ minus graventur,  
 & aptius communi omnium Christianorum Patri  
 pro debito subveniatur, quam per Annatas,  
 sive primorum fructuum solutionem. *Spond. ad an.  
 1435. n. 14. & an. 1399. n. 1. & 2. vid. Fernand. Cor-  
 dubens. & Antonius Gallefinus de Annatis, & Na-  
 talis Alexand. ad sæculum XV & XVI. Dissert. 9.  
 ac novissime P. Gregorius Zalluein tom. 3. Prin-  
 cip. Juris Eccles. quæst. 2. cap. 1. §. 7. qui cum  
 omnibus ferme Catholicis Scriptoribus Annata-  
 rum exactionem & Simoniacæ labe vindicant.*

Secul. XV.  
A.C. 1435

*cessione ac declaratione indigent, Nos  
cum S. R. E. Cardinalibus, per nostros  
pro Concilio respondere decrevimus.*

## §. CXXXIX.

*Responsio Pontificis ad Decretum.*

*Labbe Conc. gener. to. 12. p. 865. & seq.* Nec promisso defuit Pontifex; per Legatos enim suos Synodi Patribus responsum dedit, ac rationum suarum momenta exposuit, declarans, obstupuisse vehementer, quod decreto tam insolentibus ac Romanæ Ecclesiæ noxiæ Annatas prohibere præsumpissent, „ quarum temporum usus, inquiebat, multis retro sæculis a Sanctis Patribus stabilitus, atque ab omnibus perpetua Religione firmatus esset, „ nihilominus tamen paratum se esse, earum abrogationi consentire, dummodo Sedis Apostolicæ necessitatibus a Synodo satis provideretur, ac decreti executio suspenderetur. Ad vincendam annatas earumque necessitatem demonstrandam, sequentem protulit rationem, omnino decet, inquiebat, S. R. Ecclesiam proventibus abundare juxta priscorum Pontificum exempla, qui Beato Athanasio, SS. Joanni Chrysofomo, Thomæ Cantuariensi ex redditibus suis subvenerunt, imo S. Gregorius ipsis quoque pauperibus Jerolymitanis eleemosynas transmisit.

§. CXL

*Pontificis responsum a Juliano Cardinale confutatum.*

Ad hæc Julianus Synodi Præses respondit in hanc sententiam: Romani Pontifices tot tamque præclara pietatis opera ex Annatarum proventibus neutiquam perfecerunt. Fateor equidem unacum Eugenio Oratoribus, oportere Sedem Apostolicam divitiis, & potentia instructam esse: Ast nihilominus palam affirmo, in illa, uti & in aliis Episcopalibus sedibus desiderari magis copiam, abundantiamque virtutum & meritorum, quam opum, aut divitiarum. Nec Synodus hoc decreto quicquam intendit, per quod Sedes Apostolica jacturam seu diminutionem aliquam auctoritatis ac facultatis pati posset. Præterea Concilium damnavit Annatas, eo quod nemo inficietur multos in exactione earum solitos fieri abusus, & hinc multos scandalum passos. Nihilque novitatis per hoc decretum in Ecclesia introductum est, sed unice statutum, ut beneficia & Ordines Ecclesiastici gratis conferrentur & Simonia eliminaretur, quam ipsemet Christus Dominus, Apostoli, summi Pontifices, sancti Doctores, sacrique Canones detestati sunt. Per ipsam hoc Decretum non interdicitur, quin pro vitæ sustentatione, aliisque Ecclesiæ necessitatibus, summus Pontifex, aliarumque Eccle-

Eccle-

Sæcul. XV. *Ecclesiarum Episcopi charitativum subsidium*  
 A. C. 1435. *indicere, decimam, seu aliam quotam impone-*  
*nere, aut aliquorum beneficiorum proventus*  
*ad tempus reservare possint; nec unquam ad*  
*huc auditum, quod Synodus nolit Sedis Apo-*  
*stolicæ dignam, & competentem facere pro-*  
*visionem; imo hoc per suos Oratores jam pro-*  
*dem pollicita est, si tamen Papa observa-*  
*tivæ decretorum Synodaliū rationem habue-*  
*rit. Tandem subjungit: Nec alii sancti*  
*Episcopi præclara charitatis & pietatis*  
*opera de emolumentis sigillorum exple-*  
*consueverant. Hæc decerpimus ex re-*  
*sponsione, quam Synodi Præses fecit ad*  
*Oratores Eugenii in Congregatione die*  
*tertia Novembris ejusdem anni celebrata.*  
 Verum huic Basileensis Synodi Decre-  
 to per Concordata postmodum erecta de-  
 rogatum est, vimque illius nostra adhuc  
 ætate infringunt Normanniæ Episcopi  
 jure *deportus* utentes, quo nomine ve-  
 niunt unius anni redditus ex vacantibus  
 Parochialibus Beneficiis percipiendi, ad  
 a successore Parocho persolvendi. Hoc  
 jus fuit introductum eo tempore, quo Ro-  
 mani Pontifices Avenione sedem fixe-  
 runt, qui Annatas ab Episcopis & Abbe-  
 tibus obtentu belli sacri contra Infideles  
 exegerunt. Præter Normannos adhuc  
 alii Episcopi in Galliis dictum jus *depor-*  
*tus* adoptarunt, ita ut hodiedum consue-  
 tudinis vim obtineat.

## §. CXLI.

Sæcul. XV.

A. C. 1435.

*Decretum secundum de pacificis possessoribus.*

In eadem sessione vigesima prima adhuc *Labbe Conc. to. 12. p. 552,*  
 aliud conditum legimus decretum, quo statuitur, quod quicumque non violentus, sed habens coloratum titulum, pacifice beneficium triennio proximo hætenus possedit, non possit a quoquam molestari. Triennalis hæc possessio tantum operatur, ut possessor nequidem in petitorio ulla amplius molestia affici queat, & in hoc ipso Decreto de pacificis possessoribus fundatur legitima Beneficiorum præscriptio, quæ originem suam a Concilio Basileensi repetens, in Pragmaticam Sanctionem, necnon in Concordata transiit, & inde Regula Cancellariæ trigesima sexta de triennali præscriptione erecta fuit. Ut autem ejusmodi possessio præfatis potiat effectibus, in titulo colorato fundata sit, necesse est, scilicet ut ab eo sit concessa, cui concedendi potestas competit, nullo interveniente manifesto vitio. Præterea possessio ab eadem persona continuata esse debet (Prædecessoris enim possessio nihil ei suffragatur) simulque pacifica, ita ut per nullum actum juridicum, nec per litis contestationem interrumpatur, nisi forte alter in prosequendo jure suo a nimia possidentis potentia impeditus

Sæcul. XV. ditus sit. Ampliori adhuc exami-  
A.C. 1435. præfens decretum subjiciemus, dum de  
 Sanctione Pragmatica differendi cog-  
 dabitur.

## §. CXLII.

*Decretum tertium de divino Officio.*

*Labbe Conc.* Tandem Synodus suæ sollicitudinis,  
*to. 12. p. 553.* nimique ad singula intenti specime-  
*& seq.* editura, in hac eadem Sessione plura con-  
 didit decreta, quæ ritus Ecclesiæ specta-  
 bant.

Primum respicit publicam divini offi-  
 cii recitationem, ubi constituit, ut *laudibus*  
*divinæ horis debitis, signis congrua pulsa-*  
*tione præmissis, tractim & cum pausa*  
*centi, præsertim in medio cujuslibet versiculi*  
*Psalmorum, debitam faciendo inter solemne*  
*ac feriale officium differentiam, reverentia*  
*ab omnibus persolvantur.* Præterea de-  
 crevit, ut *Horas canonicas dicturi cum tu-*  
*nica talari ac superpelliciis seu cappis, juxta*  
*temporum diversitatem Ecclesias ingredian-*  
*tur, & cum in choro fuerint, gravitatem ser-*  
*vent, non insimul, aut cum aliis confabul-*  
*antes seu colloquentes, aut literas, vel scri-*  
*pturas alias legentes, item, cum dicitur,*  
*Gloria Patri &c. omnes consurgant, cum-*  
*que nominatur gloriosum nomen JESUS,*  
*omnes caput inclinent. Nemo ibidem, dum*  
*Horæ in communi publice cantantur, legit*  
*vel dicat privatim officium.*

In sequenti Decreto Synodus ordi-  
 nat, quod ille, qui in matutinis ante finem  
 Psalmi: Venite exultemus &c. in aliis  
 Horis ante finem primi Psalmi, in Missa an-  
 te ultimum Kyrie eleison, usque in finem di-  
 vino officio non interfuerit, pro illa hora  
 absens censeatur, & distributionum emolu-  
 mentis careat, nisi forte necessitate cogente,  
 ac petita & obtenta a Præside chori licentia  
 discedere oporteat, salvis Ecclesiarum con-  
 suetudinibus, si quæ forte circa hoc ar-  
 ctiores existant. Pro cuius executione de-  
 putetur aliquis onus habens notandi perso-  
 nas singulas statuto tempore non convenientes,  
 juramento adstrictus agere fideliter, & nulli  
 parcere.

Tertio decreto sancitur, quod, qui-  
 cunque Beneficiatus divinorum tempore per  
 Ecclesiam deambulando, aut cum aliis collo-  
 quendo, vagari visus fuerit, totius diei  
 præsentiam ipso facto amittat. Qui si semel  
 correctus, non desiterit, per mensem distribu-  
 tionibus careat, vel graviori, si pertinacia  
 exegerit, pænæ subjaceat. Regulares, qui  
 circa prædicta excesserint, gravi superioris  
 arbitrio castigentur.

In quarto decreto hæc præscribunt  
 Patres: Ut cuncta in domo Dei ordinate  
 procedant, & quilibet sciat, quid sibi agen-  
 dum imminet, statuatur tabella aliqua, con-  
 tinuo pendens in choro, in qua quid per u-  
 numquemque ex Canonicis, vel aliis Bene-  
 ficiatis

Sæcul. XV.

A.C. 1435.



Sæcul. XV. *ficiatis in singulis horis per hebdomadam*  
 A.C. 1435. *gendum, cantandumve sit, scribatur. Quod*  
 autem, secundum quod ibi descriptum fuerit, facere per se, vel alium neglexerit, pro qualibet hora distributiones unius anni amittat.

Quintum decretum quarundam Ecclesiarum ab usum damnat, in quibus Symbolum fidei nostræ: Credo &c. non complete usque ad finem cantatur, aut Prefatio seu Oratio Dominica omittitur. Præterea Synodus prohibet, in Ecclesiis cantationes profanas cantari, ac Missas private sine Ministris celebrari. Arguit quoque omnes illos, qui Missam tam submissa voce dicunt, ut ab adstantibus percipi nequeant. Denique statuit, ut qui in hoc transgressor inventus fuerit, a suo Superiore debite castigetur.

In sexto decreto Patres alium reprobant ab usum, divino cultui manifeste derogantem; quo nonnulli Ecclesiarum Canonici contrahentes debita, sic se creditoribus obligant, ut nisi statuto tempore satisfaciant, a divinis cesset officii. Igitur Synodus ejusmodi obligationem juramento etiam firmatam prorsus irritam declarat, jubetque, ut qui talem illicitum contractum fecerint, trium mensium fructus ipsi Ecclesia applicandos, ipso facto amittant. Et quoad diu divina non resumpserint, nullos ex ipsa Ecclesia proventus percipiant.

Septimo

Septimo decreto prohibetur, *ne tem-* Sæcul. XV.  
*pore Missæ majoris, præsertim solemnibus* A.C. 1435.  
*diebus capitula, seu actus capitulares per Ca-*  
*nonicos celebrentur, nisi forte urgens, &*  
*evidens ingrueret necessitas. Is vero, qui*  
*ad talem horam capitulum indixerit,*  
*a distributionibus quotidianis per hebdo-*  
*madam sit privatus.*

In ultimo tandem Decreto Patres da-  
 mnant spectacula, certis anni festivitati-  
 bus in Ecclesiis fieri solita, ubi nonnulli  
 pueri mitra, baculo, ac vestibus Pontifi-  
 calibus more Episcoporum induti, Epis-  
 copalia munia exercebant, alii vero Re-  
 gum & Ducum personas gerebant, quod,  
 verba sunt Concilii, *festum fatuorum seu*  
*innocentium nuncupatur.* In hoc Decreto  
 Ordinariis locorum, Ecclesiarum Decanis &  
 Rectoribus præcipitur sub pœna suspensionis  
 omnium proventuum ecclesiasticorum trium  
 mensium spatio, *ne larvales & theatrales jo-*  
*cos, choreas, & tripudia marium, ac mu-*  
*lierum fieri permittant.* Agit quoque de  
 mercatibus ac negotiationibus in Eccle-  
 sia & cæmetro hucusque institutis, quas  
 nequaquam ultra permitti, sed trans-  
 gressores per censuras Ecclesiasticas coer-  
 cere præcipit.

§. CXLIII.

O

*Hist. Eccles. Tom. XXVII.*

Sæcul. XV.  
A. C. 1435.

§. CXLIII.

*Sabaudicæ Dux de Synodo conquestus*

Die prima Maji ejusdem anni Amadæus Sabaudicæ Dux ex Ripaliensis episcopi sui suæ latebris Epistolam ad Synodum perscripsit, in qua non tanquam Eremicola, sed ut Princeps supremus, atque ut accerrimus injuriarum vindex in querelas contra Basileenses erupit, eo quod Lausanensem Episcopatum Ludovico de Palude adjudicassent, neglecto Joanne Pereingino, pro quo tamen, hæc Ecclesia ei conferretur, justitia meritorum suffragia pugnarent, pro quo Dux sibi videri inquiebat. Præterea et probabat Synodo, quod ejus Ministri Procuratorem, qui Ducis sui nomine Synodali judicium sententia ad Eugenium Papam appellasset, adeo fuissent infecti, ut ille ægre admodum eorum convicia, carceremque, cui eum tradere minitati fuissent, effugisset. Basileenses Amadæi indignationem mitigaturi, die decima sexta Septembris in quadam Congregatione statuerunt, ut Dux datis literis certior fieret, paratum esse Concilium tam ei, quam aliis quibuscunque, qui de gestis Patrum conquererentur, justitiam administrare. Sicque unda tempestive affuit

affusa recentes incendii flammam extinxit (\*).

Sæcul. XV.

A. C. 1435.

§. CXLIV.

*Græci hinc ab Eugenio, illinc a Concilio sollicitati.*

Nihil interea in promovendo cum Græcis unionis negotio intermissum est. Postquam enim horum Oratores apud Synodi Patres commissio sibi officio defuncti erant, ut supra meminimus, Eugenius ad accelerandam eorum unionem Christophorum Garetonum, quem ab Epistolis habuit, Constantinopolim misit. Verum is non sine magna admiratione comperit, quod Græci mutata animi sententia Synodum Constantinopoli celebrari toto studio contenderent; cum id tamen promissis mutuo initis adversaretur. Igitur Garetonus totam rei seriem ad Synodum perscribit. Nonnulli hanc animi mutabilitatem non tam a spontaneo Græcorum impulsu, quam Pontificis hortatu ortam suspicabantur; cum enim Basileenses tam amplam sibi auctoritatem arrogarent, id ægerrime ferebat Eugenius. Nihilominus Synodi Patres rem edocti

(\*) Spondanus ad hunc annum num. 16. subjungit: *Satius fuisset, non inconsulte agere, quam objecta excusare.*

Sæcul. XV. edocti, rursum Delegatos Constantinopolim mittunt Joannem de Ragusio Ordinis Prædicatorum, Henricum Menger Dacretorum Doctorem Canonicum Constantiensem, & Simonem Freiron Auxilianensem Canonicum, Theologiæ Baccalaureum, qui Græcis persuaderent, a pactis Basileæ conventis stare, eo pretiosissimo nomine, quod perfecta unio, ipsius quoque fatentibus Græcis, sperari haud posset, nisi Concilium œcumenicum ex utraque Ecclesia Occidentali, & Orientali congregaretur: Constantinopolitana autem Synodus nunquam vere universalis censeatur, etiamsi interesset Legatus Sedis Apostolicæ, nequaquam tamen illum Ecclesiam Occidentalem repræsentaturum, ac proinde nihil inde fructum secuturum: Basileam autem opportunissimam esse urbem ad Generale Concilium celebrandum, cuius regio esset salubri cœli temperiemæna, pacifica, civitasque omnino libera

## §. CXLV.

*Græcorum consensus de Synodo in Occidente celebranda.*

Propositis hisce Deputatorum Synodaliū rationibus demum conclusum est, Synodum in Occidente celebrandam ad quam Græcorum Imperator & Patriarcha

*Concil. Basil  
App. I. art.  
37. 38. 39.  
pag. 851. &  
seq.*

triarcha cum Græcæ Ecclesiæ Prælatiſ Sæcul. XV.  
 atque Proceribus accessuri eſſent; ne ve- A.C. 1435.  
 ro confluentes, ac præcipue Patriarcha  
 infirmæ valetudinis, ac proveſtæ ætatis  
 Vir, necnon Romanus Pontifex, qui &  
 ipſe a deſſe deberet, incommodis ſuccum-  
 berent, ea addita eſt lex, ut quædam ex  
 maritimis Italiæ urbibus eligeretur, ex  
 qua etiam emergentibus Conſtantinopo-  
 litanæ urbis neceſſitatibus facilius provi-  
 deri poſſet.

## §. CXLVI.

*ſeſſio XXII. Baſileenſis Synodi.*

Celebrata eſt die Sabbati decima quin-  
 ta Octobris ſeſſio ordine vigesima *Labbe Cont.*  
 ſecunda, ubi condemnatio cujuſdam *to. 12. p. 555.*  
 libri, quem Auguſtinus de Roma Nazare-  
 nus Archiepiſcopus Ordinis FF. Eremitarum  
 S. Auguſtini vulgaverat, totam Patrum  
 operam ſibi vendicavit. Hujus libri  
 Auctor Anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo  
 decimo nono ſupremus Ordinis ſui Magiſter  
 electus, atque anno quadringenteſimo  
 trigeſimo primo ſupra milleſimum Ceſenæ  
 Epicoſopus, tandem in Neapolis Regno  
 Nazarenus Archipræful renunciatus eſt.  
 Is tractatum de Chriſto & Eccleſia  
 compoſuit, in tres partes diſſectum,  
 in quarum prima diſſeruit de unitate  
 Chriſti, & ejus Eccleſia, ſeu

Sæcul. XV. *de Christo integro.* In secunda, de Christo tanquam capite, & de inlyto eius Principatu. Tertiam inscripsit de charitate Christi erga electos, ejusque infinito amore. In hac sua lucubratione naturam humanam cum divinitate tam recto inter se nexu conjunctam fuisse docet, ut quædam proferret, in quibus solæ Divinitati propria humanæ etiam naturæ attribuisse videretur.

## §. CXLVII.

*Augustini de Roma propositiones.*

I. *Christus quotidie peccat, & ex quo factus est Christus, quotidie peccavit.* Quod est quidem non de ipsa Christi Domini Persona intellexit, sed de ejus membris, quæ cum Christo Capite, unum Christum esse afferuit.

II. *Non omnes fideles justificati, sunt membra Christi, sed soli electi, finaliter in perpetuum regnaturi cum Christo.*

Collect. Conc.  
tom. 12.  
p. 556.

III. *Secundum ineffabilem præscientiam Dei sumuntur membra Christi, ex quibus constat Ecclesia, quæ tamen non constat, nisi ex eis, qui secundum propositum electionis vocati sunt.*

IV. *Non sufficit Christo uniri vinculo charitatis, ut aliqui efficiantur membra Christi, sed requiritur alia unio.*

V. *Hum...*

V. *Humana natura in Christo, vere est* saecul. XV. A. C. 1435.  
*Christus: Natura humana in Christo est*  
*persona Christi: Ratio suppositalis determi-*  
*nans humanam naturam in Christo, non*  
*realiter distinguitur ab ipsa natura deter-*  
*minata.*

VI. *Natura humana assumpta a Verbo*  
*ex unione personali, est veraciter Deus natu-*  
*ralis & proprius.*

VII. *Christus secundum voluntatem crea-*  
*tam, tantum diligit naturam humanam u-*  
*nitam personae Verbi, quantum diligit na-*  
*turam divinam.*

VIII. *Sicut duae Personae in divinis sunt*  
*aequaliter diligibiles, ita duae naturae in*  
*Christo, humana & divina, sunt aequali-*  
*ter diligibiles propter personam commu-*  
*nem.*

IX. *Anima Christi videt Deum tam cla-*  
*re & intense, quantum clare, & intense*  
*Deus videt seipsum.*

§. CXLVIII.

*Haec propositiones a Basileensi Synodo*  
*damnatae.*

**O**mnnes haec propositiones, pluresque  
 alias ex eadem radice pullulantes, Trithem. & Bellarm. de  
 atque in praedicto libro contentas Syno- script. Ec-  
 dus tanquam erroneas in fide damnat, u- clesiast.  
 nacum ipso libro, ex quo decerptae erant,  
 necnon, cum omnibus tractatibus, quos  
 O 4 Auctor



**Sæcul. XV.** Auctor in operis sui defensionem con-  
A.C. 1435. scripsit. Nec tamen propterea Patres  
 personæ Auctoris præjudicare intendebant, quoniam, etsi debite a Synodo vocatus non comparuisset, æquas tamen absentiae suæ causas allegavit, suamque doctrinam, cunctosque libros suos judicio Ecclesiæ submitit. Hic anno a Christo nato supra millesimum quadragesimum quadragesimo tertio, seu ex aliorum opinione, Anno millesimo quadragesimo mo quadragesimo quinto ex hac vita migravit, præclaris virtutum signis decoratus.

*Conc. Basl.  
 append. 1.  
 art. 16. tom.  
 12. 2. conc.  
 p. 824.*

## §. CXLIX.

*Decretum Synodi adversus Venetos.*

*Bonfin. 3.  
 decad. 2.*

**H**oc item anno prope ad finem vergente die vigesima secunda Decembris Basileenses generalem instituerunt congregationem, in qua Synodus sententiam protulit contra Venetos, qui omnes terras Ludovico Duci Patriarchæ Aquilejensi ablatas restituere jubebantur, eorum Duci, Consiliariis, Nobilibus, & Procuratoribus indicta excommunicationis poena, atque interdicti populo infirgendi. Ergo Synodus præcipiebat Venetis, ut urbem, arcem, terras, prædia, cunctaque alia bona, quæ ab Aquilejensi Ecclesia occupaverant, redderent; Patriarchæ

triarcham suæ Sedi tam in spiritualibus, Sæcul. XV. A. C. 1435.  
 quam in temporalibus restituerent, eum-  
 que in pacificam possessionem reducerent,  
 spe facta, eos, si hæc præstitissent, in Ec-  
 clesiæ sinum recipiendos, & delictorum  
 suorum veniam promerituros. Venetos  
 huic Synodali decreto tardius morem  
 gessisse, nec Ludovicum Ducem ante  
 mortem suam, quæ non multo post ac-  
 ciderat, ad Ecclesiam suam rediisse, con-  
 jicere pronum est. Suffectus est eidem  
 Vitalis, seu ut alii volunt, Vitellius, qui  
 licet Patriarchæ Alexandrini titulo insi-  
 gnitus, nihilominus ob odium in Vene-  
 tos Pontifici æque ac Concilio constan-  
 ter obluçtabatur.

## §. CL.

*Comitia Francofordiensa pro refor-  
matione Imperii.*

Die sexta Decembris Sancto Nicolao  
 sacra Sigismundus Imperator coacto  
 Francofordiæ Principum conventu de re-  
 formatione Imperii agere cæpit, eum in  
 finem, ut quilibet cognita muneris, sta-  
 tusque sui ratione atque officio, eidem fi-  
 delius satisfacere studeret. Ast Cæsar  
 nil nisi monita dare poterat; ceterum  
 media, quibus eorum executionem urge-  
 re posset, ab illorum dependebant arbi-  
 trio, qui, cum ipsimet prima Imperii

Sæcul. XV. subsellia occuparent, Sigismundi iussu  
A C. 1435. obtemperare cunctabantur. Hæc re-  
 formatio forsitan magis expedita fuisset,  
 si Carolus IV. Sigismundi Pater (etsi non  
 raro de Imperii corruptelis, ac sinistris  
 Principum, & supremorum Magistratum  
 consiliis quereretur) imperii bona in E-  
 lectores non distraxisset, eo consilio, ut  
 illi post ejus fata regnum in Wences-  
 laum filium suum natu majorem trans-  
 ferrent, licet hujus dignitatis prorsus in-  
 dignus, Imperii splendorem potius obsu-  
 scare, quam illius onera sustinere posset.  
 In hoc conventu sexdecim proponeban-  
 tur articuli, futuræ reformationis capita,  
 quorum observatio imminentem Imperii  
 ruinam averteret. Quoniam vero Prin-  
 cipum, qui convenerant, numerus oppido  
 exiguus fuerat, Imperator animo con-  
 stituit, conventum ad duodecimam Ma-  
 tii diem anni sequentis in eadem urbe  
 vel Ratisbonæ indicere.

## §. CLI.

*Prælium in Lithuania Livoniensibus  
 funestum.*

Hoc eodem Anno millesimo quadringentesimo trigesimo quinto Suintigelo, & Sigismundus, quorum prior Ladislai Jagellonis Regis, alter Ducis Vitoltdi frater erat, de Ducatu Lithuaniae

contendebant, & cruento admodum præ- Sæcul. XV.  
lio in Lithuania Autumni tempore di- A. C. 1435.  
micabant. Partes Sigismundi præcipue  
adjuvabant Poloni; Suitrigello autem  
cum Equitibus Livoniæ foedus inicit, at-  
que in aciem descendit: Sed Marte  
perquam infausto: nam prælio victus, æ-  
gerrime cum exiguo admodum Russo-  
rum numero, funestæ cladis reliquiis, fu-  
ga elapsus est, cæsis omnibus suis E-  
quitibus, ipsoque Livoniensium Magi-  
stro, & Georgio Novogardiæ Principe  
desideratis. Parta Victoria duo mil-  
lia (\*) equorum Sigismundo Victori in  
prædam cesserunt; Dux Massoviæ, qui  
sub Sigismundi signis militaverat, in are-  
na cecidit; & Supremus Equitum Ma-  
gister, comperta fratrum suorum cæde,  
creatum a se Magistrum cum ducentis  
Equitibus in Livoniam misit, sed qui su-  
perfuere ex Livonia fratres, hosce re-  
cipere noluerunt, nisi prius Marescallus  
de Puteo \*, quem ipsi Magistrum elege- \* de Pays  
rant, confirmaretur.

## §. CLII.

*Turcæ ab Hungaris devicti.*

Subidem tempus Albertus Austriæ Dux,  
qui Sigismundi Imperatoris foceri sui  
copiis

*Krantz. c. 36*

(\*) *Aliorum Historicorum fide, viginti mil-  
lia equorum numerabantur.*

Sæcul. XV.  
A. C. 1435.

copiis præerat, Turcas ex Hungaria feliciter propulsavit. Hæc victoria a Christianis reportata merito militis unius gregarii fortitudini in acceptis referenda. hic enim, cum jamjam abjectis militibus signis, Christianos Turcarum armis ultra resistendo impares, fugam meditari conspiceret, arrepta securi sua tam valido impetu in obvios sibi Turcas irruit, ut eorum plurimos trucidaret, & per occisorum cadavera sequentibus se Hungaris viam sterneret, qui signa prius deposita denuo levarunt, & hostiles copias insecuti octodecim Turcarum milia interfecerunt, plurimosque eorum captivos secum abstraxerunt. Sigismundus percepto tam prospero prælii successu militem, qui tam invicta fortitudine Christianorum exercitum periculo subduxerat, ad se vocavit, ac Equestri nobilitate decoravit, additis etiam prædiis, & possessionibus, quibus dignitatem tueretur.

